
PETRI GODOFREDI, CARCASONENSIS, JC. DE AMORIBUS, ...

Pierre Godefroy



VII 21



PETRI GODOFREDI,
CARCASONENSIS, JC.
De
AMORIBUS,
LIBRI TRES.





LUGDUNI BATAVORUM
Ex Officina JOANNIS MAIRE.
CIƆ IƆ C XLVIII.

VIRO NOBILISSIMO

ATQVE ILLVSTRI

D. JACOBO CATSIO,

EQUITI, CONSILIARIO & Advocato Potentiss. Procerum Hollandiæ, Magni Sigilli custodi &c.

Editor S. P. D.

ILLUSTRIS Domine, volucres alas ubiq; movere Amorem, recte sensit, etsi fabulis suis involvit, cordata antiquitas: & antiquissimus Poëta Orpheus amorem claves habere totius universi eleganter censuit. Nunquid enim non suprema illa & æterna mens totum hoc convexum con-

cordi quodam amore ligavit, ſuperius cœlos ſuſpendit atque luminibus ſuis diſtinxit, inferius ſtabili lege in medio aëris terras & maria fixit, plantis, animalibus, hominibus amoris vinculo immortalitatem indidit? Amor & ferociſſima animalia urit, mitigat, ipſa admodum æquora æſtu ſuo penetrat, &, quis credat? incendia in gelidiſſimis undis parit. Quinet ipſæ Reſpublicæ, civitates, populi, amore ęterni ſunt. Salutari hac aura cuncta rident, nullus hoſtis agris incumbit, pax innumeris triumfis ubiq; exultat. Cui itaque hunc amoris theſaurum con-

consecrarem potius quam tibi, Vir Nobilissime, qui amores & deliciæ Belgarum? Qui omnium ordinum amorem meruisti, dum singulis amorum munia distribuis. Cujusque divinis versibus omnia erecta ingenia assurgunt. Non tantum amores vagos illos & lascivos in ordinem redegisti, sed docuisti quo non assurgere possit ingenium humanum. Amorem utiq; tubam illam poëticã vestram accendisse, atque invidendum illud dictionis uber subministrasse, non est vana opinio. Itaque nemo libros tuos volvit, qui non abripiatur in stuporem,

nemo unquam legendi ſatietate teneatur. Nuſquam intorta, hæſitans, oratio, in quo vitio nonnulli poëtæ laudis ſuæ hodie palmarium ponunt; ſed ubique explicita, venuſta, blande demulcens aures hominum, atq; elegantiam & aculeum in intimis pectoris ſui relinquens penetralibus. Multorũ verſus duri, ut veluti ferocientes atque indignantes undæ rupibus ſuis collidantur, aures animumque radant. Veſtrorum carminum facilis & ſui ſemper ſimilis protuberat amnis, & pleno & limpidiſſimo defluit alveo. Ingenii hoc veſtri vaſtum flumen

nemo assequitur; & qui se assecutum putat, ludibrium sibi tantum relinquit. Sed laudes illas ingenii vestri hic concumulare infra sortem nostram est. & tu tibi solus arbiter judexq; esse potes: qui ut omnibus Poësi superior es, ita liberali admodum atq; honesta pugna teipsum vincere quotidie conaris, neq; potes. Itaque victor es semper augustus. Quanto autem & ingenio & dignitate superior es omnibus, tanto quoque humanitas cum facili gravitate juncta prælucet omnibus. Humanitas & modestia virtutis & sapientiæ semper comes est,

eſt, arrogantia & ventoſitas inviſa omniũ meretur contemptum. Cœlum aſpice: diſpergit ſuorum luminum radios per totum terrarum orbem: neminem non luce impertit, ſive reges ſive inopes fuerint coloni. Hac veſtra fretus humanitate, vir Nobiliſ., etiam V. N. alloqui hoc tenui ſcripto auſus ſum: te, inquam, cujus lingua tota hæc noſtra Hollandia loquitur, atque ubi opus eſt, conſiliis ſolidiſſimis fulcitur. Non ego morabor Nobilitatem veſtram longo alloquio, ne in juſtiſſimam incidam indignationem. Cum magnatibus brevem ſermonem

nem conserere aulicorum mos. Ego etsi nunquam aulæ me immiscuerim, tamen civis civilem heic quoque vitæ tenorem observabo. Rogo itaque te, Vir Nobilissime, ut hoc exiguum munusculum in bonam partem accipias, & Amorum hosce libros amica manu foveas, etsi vestro ingenio eruditionique proculdubio impares futuri sint. Deus V.N. vestramque familiam diu conservet incolumem nobis Reipublicæque. Vale.

INDEX SINGULORUM Capitum totius operis.

Lib. II.

Lib. II.

Lib. III.

INDEX.

PETRI

PETRI GODOFREDI,

Carcaſ. Iureconſulti, Procuratoris Regii Dialogi de Amoribus.

LIBER I.

GODOFREDUS. FABER.

Intentio Auctoris, ſummaq; operis.

GODOFR.



AT nos de amoribus tractabimus?

FAB. Nempe, & ut ille ait,

Placet, ac decet viciſſim
Cantemus, atque amemus.

Et qui non, inquam, de amoribus nos etiam agemus, vel relaxandi animi gratia, laborioſiſſimis omnium iſtius iuris ſtudiis fatigati: quando, & poëtarum genus dudum otioſiſſimum his ſe iuvari, ac iuvare illæſis moribus vult? de quibus recentiorum u-

nus, & veterum alter, Vulteius ſcilicet ac Martialis, ita teſtificantur, cum ſuo Catullo:

Ficta puellarum, ſibi quæ ſumpſere Poëtæ,
Nomina. quã celebrat carmine, nullus amat.
Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.
Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem,
Si ſunt molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat, incitare poſſunt.

Certe, ut vetuſtiſſimus etiam Poëta Actius inquit,

Exdulcare convenit vitam,
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare.

GOD. Remittendus, fateor, animus eſt nobis vere ἐργωδεστάτῳ καὶ αἰωνίῳ ſtudio iſto, plus nimium ſæpe vexatis, atque huic intendendus, ita ut non, quod Baldus ait, nulla ſit cura ſalutis, ſed iuxta Iſocratem, λῆγε τῶν πόνων, ἔτι ποιεῖν δυνάμενος. Verum hæc remiſſio & quies ut non penitus otioſa, ſic nec illiberalis eſſe debet, vel maxime animæ noxia. Ea enim maxima,

i. e. laborioſiſſimo & perpetuo.

i. e. deſine à laboribus, dum adhuc laborare potes.

xima, imo vere ſola illiberalitas atq; ſervitus eſt: quippe qua Dei voluntati (cui nos ſemper & omnino adlaborare oportet) adverſus, atque ideo lædens animam, quæ in illius voluntate vivit, ἀντιθέῳ dæmoni inimico, magno cum malo ſuo, ſubiacet ſtultiſſimus ac miſerrimus omnium animalium homo. Quod nedum ſacra plane docent, verum etiam adſtipulatur admodum Stoicorum non vulgare dogma. ὅτι, Πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι· πάντες δὲ μωροὶ, δοῦλοι. Huiuſmodi autem procul dubio eſt omnis αἰσχρολογία. Proinde monet ita Epheſios Apoſtolus: πορνεία δὲ, καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία, μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. Atq; idipſum in Poëtis, quod excuſat, ac etiam ſi diis placet, commendat probe Catullus cum ſua cohorte, iure improbat nobis receptior Mantuanus vates, traditque, Poëtam extime quoque pudicum eſſe oportere, inquiens:

i.e. Quod omnes ſapientes liberi ſunt, omnes vero ſtulti ſervi. Seu turpiloquiū. i.e. ſcortatio vero & omnis impuritia, atque avaritia, nequidē inter vos nominentur.

Dona Dei, carmen nitidum, facundia præſtans,
Mittitur ex aſtris, à ſuperiſque datur.
Hoc decus, hoc animis carmen cœleſtibus aptum,

Rebus in immundis degenerare nefas.
Vita decet castos, & pagina casta, Poëtas.
Verba movent animos: oris lascivia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.
Non secus ac vitreum si quis vult lædere fontem,
Proiicit in dulces putre cadaver aquas.
Propterea merito pro vate vocabere leno,
Elogio sceleri conveniente tuo.

FAB. Ea utique sunt Σιβυλλείων, quod dicitur, φύλλων ἀληθέστερα, & commodissime à te prolata. quibus ego iam nil refragor. Illa autem prædixi, ne quis iure vel iniuria tandem temere putaret, nos scripsisse de amoribus, quasi de fornicationibus, adulteriis & cæteris id genus concubitibus illicitis, summa cum nostra infamia, & noxia proximi: cum vulgo legatur apud plerosque revera non indoctos, ut amoris vox honestam præ se fert significationem, ita contra, amores turpem ac nefandam: cum tamen & pro

i. e. Sybyllinis foliis veriora.

pro honestissimo amore & benevolentia ac (si mavis) charitate Platonem illum divinissimum Philosophum, Ciceronemque, ac multos sanctorum doctissimos usos esse, non ignotum sit. Id quod gnaviter adnotavit in calumniatorem Platonis magnus ille Cardinalis Bessarion, necnon Budæus noster, & alii quos tu probe nosti. quin nos sane aptius etiam id fecisse videbimur, qui & de matrimoniali amore verba habuerimus. Quid etsi de cæteris amoribus, scilicet illicitis, eos taxando & deterrendo ab his humanam lasciviam atque insaniam? Sed & remedia edocẽdo? Non igitur candidus lector nobis succenseat tanquam male, fœdeve, seu inepte scribentibus: sed rem diligentius consideret & gratias agat nobiscum summo bonorum auctori, qui nobis semper adesse dignetur iam auspicantibus.

CAP. I.

Amoris encomium.

EQuidem amor, est ipse Deus, & amoris parens, sed & quasi discipulus, ac si dici fas sit, minister quodammodo. Deus enim, nonne Deus pacis est & dilectionis? nonne ipse amor, dilectio & charitas? nonne huius parens & origo Deus? Non enim est Deus dissensionis, sed pacis. Pacem habete, & DEUS charitatis & pacis, erit vobiscum, inquit Apostolus ad Corinthios, & sæpe alibi similiter. Et Sextus Propertius:

Pacis amor Deus est. pacem veneremur amantes:
Pax iuvat, & media pace repertus amor.

Inquit & integerrimus ille Christi discipulus: Deus charitas est, & charitas ex Deo est. Tum in hoc cognoscimus amoris ceu discipulum esse Deum, & si ita loqui fas sit, ministrũ quodammmodo: quia omnia propter amorem operatus est, & ipsum quoque unicum filium suum dedit in redem-

demptionem pro nobis. In hoc apparuit charitas Dei in nobis: quoniã filium suum unigenitum misit Deus inmundum, ut vivamus per eum, inquit ille. Et Plato scripsit, Apollinem scientiarum & carminum Deum, amoris discipulum esse: quod nemo nisi amet scientiam, & amabili labore in eius adeptionem intendat, sat doctus fieri queat. Nempe secundum illud, quod alibi idem notavit, non decere liberum hominem cum servitute disciplinam aliquã discere: quippe cum ingentes labores corporis vi suscepti, nihilo deterius quidem corpus efficiant: nulla vero animi disciplina violenta sit stabilis: nec si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, invenire quis ullo pacto potest quod quærit, tantum abest, ut adipisci possit: ut etiam docet beatissimus Augustinus, & secundum quod Propertius cecinit Aurelius:

Ingenium nobis res adamata facit.

Adhæc ait Beatus Bernardus, De Deo triumphat amor: proinde aptum verumque, quod nutrix Senecæ in Hercule Oetheo dicit, Vicit & supe-

ros amor. Sane est amor, ut inquit Lucianus, βίαιόν τι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων μόνον ἄρχει, ἀλλὰ καὶ θεῶν αὐτῶν. quemadmodum cecinit Mantuanus:

i.e. Violentum quid; & non solum hominibus sed & diis ipsis imperat.

--- Quisquis veneratur olympum,
Ipse sibi cœlos subjicit atque Deum.

Et cœlo imperitantem amorem Boëthius dixit. &, ipso Deo teste, violenti rapiunt cœlum, amore inquam ardentes, fortesque, & ipsum scilicet Deum, dicentes, quod est in sacris Canticis, per constantiam optimi amoris, Tenui eum, nec dimittam. quomodo & Dantes sua Hetrusca lingua canit, regnum cœlorum violentiam pati, da caldo amore è da viva speranza, che vince la divina voluntate. Atque sic verum, quod ut Mantuani veteris Gallus & Ciris habent:

Omnia vincit amor: quid enim non
vinceret ille?

Quod late prosequitur Domitius Palladius quadam ad Hieronymum Leandrum elegia. Quid item? finis præcepti totius Dei unice à nobis amplectendi, charitas, vinculum perfectionis, & funiculus cœli & mundi: ut noster Baldus ait. Sic est ille funis

Con. 395 par. 5.

aureus,

aureus, qui dicitur ab Homero, *σειρὴ χρυσείη, ἐξ ἧς οὐρανόθεν μετήορα πάντα γέ-νοιτο.* Quo creatura universa à creatore suo existens pendet, & cum eo ligatur: quo quicquid est etiam inanime, Deo iungitur, amore quodam naturali: quo, naturaliter fertur in auctorem suum. Unde Moses ille *μύστης μέγιστος* in sacra Genesi tandem ita subiunxit: וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב מאד hoc est, ad verbum, Et vidit Deus omne quod fecit, & ecce bonum valde. Boni autem, in quantum boni, est, bene velle, & bene adfici, sicque amare. itaque ut Deus utique optimus omnia à se creata amat: ita ea, etiam *ἄψυχα*, ipsum amant: illa quidem, quæ cognitione vigent, suam perfectionem desiderantia: cætera vero, dum suo modo in eum feruntur, inclinatione quadam naturali. Ad quod respexisse videtur Peripateticorum princeps, quum dixit, omnia bonum appetere: ut magni quoque Pici censuerunt. Insuper, ut ait Gersonensis Theologus, charitas est numisma, quo mercamur de Deo regnum Dei, numisma ideo haud dubie legitimum, & pre-

i.e. aurea catena ex qua cœlitus superiora quæque suspensa sunt.

i. e. Maximus mysta.

i. e. inanima.

 tio-

i.e. optimus est libripens.

tiosissimum. Deus etenim ζυγοστάτης ἐστὶν ἄριστος, qui pro sua fide atque industria nec fallit nec fallitur: ut princeps Iustinianus de ponderatoribus & probatoribus monetæ sanxit. Sicut etiam B. Augustinus scripsit. Charitas scopus totius scripturæ, margarita pretiosa, quam invenit Euangelicus negotiator, radix nostra est, vincens omnia, & sine qua nihil valent omnia: in qua deficiens, omniũm efficitur reus. Quippe in qua velut fidelissimo quodam fundamento ac firmissima base, reliquæ virtutes omnes domicilium fixerunt: ut Ioannes Pinus eleganter dixit. Quæ omnia nimium notis scripturæ locis & rationibus clarius comprobantur, quã ut sit amplius immorandum his iam satis celebratis amoris laudibus. Quem etiam plurimum commendat inter antiqua lecta Cælius Rhodiginus.

Lib. 12. cap. 36.

CAP. II.

Quid, & quotuplex amor.

SEd tu dic iam, quid est amor. GOD. Amor (ut ait Thomas Vius

in Psalmum quendam) est omnis passionis principium, ut vero B. Augustinus plerisque in locis, amor est delectatio cordis alicuius ad aliquid, propter aliquod desiderium in appetendo, & gaudium in perfruendo, & per desiderium currens, requiescens per gaudium. Hinc amicus fit, ex quo amicitia dicitur: quæ, uti ex Platone colligit Ficinus in Lyside, Honesta perpetuæ voluntatis communio est, & ut Faber Stapulensis ex Aristotele, Amicitia est aliquorum mutua benevolentia, & alicuius quidem boni gratia, cum eos non lateat. Ut Cicero autem, & post eum doctor Eleazarus, ac multi alii tradunt, est amicitia nihil aliud, quam divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & charitate summa consensio. Et amor, & amicitia, ab amando veniunt, amare autẽ, nihil aliud est, quã eum ipsum diligere, quem ames ex animo, & quod Græci uno verbo plenius dicunt, γνησίως. Charitas sive Græce deducas, aut caritas, si Latine, primum quidem officiosa erga proximum dicta, nunc iam, tum in Deum, tum in proximum iusta dilectio

Paul. Eleazarus in c. tertio loco. de probat. b. Hiero. in lam. Iere. cap. 1.

ctio dicitur, apparens in opportuna operis exhibitione, diciturque, ut Ioannes Gersonensis scripsit, quasi chara unitas. Cæterum auctores, Venerem amoris gratiarumque deam dixerunt: & hanc fecerunt plerique multiplicem: duplicem eam, necnon amorem, tradidit Rhodigin. Et primum Plato in convivio, geminam docuit esse Venerem, alteram antiquiorem & sine matre, cœlo natam, cœlestemque nuncupatam: alteram vulgatam, quæ à Iove & Dione progenita est, inde & geminum esse amorem. Et apparet, inquit Ficinus, Venerem hanc vulgarem, esse vim generandi, animæ mundi tributam, eiusque amorem & cupidinem esse ad eandem pulchritudinem in corporibus procreandam: illamque esse intelligentiam, quam in mente angelica ponit: quæ amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur. De his etiam Apuleius meminit, commemorans versiculum elegantem Aphranii, quo ambas ita cōplexus est:

Dic. lib. cap 15.

Sapiens amabit, cupient cæteri.

Namque vehemens & intemperatum desi-

desiderium cupidinem appellari, scripsit Xenophon. Lucianus quoque, duplicem amorem, inquit, in animis esse hominum: alterum mari ortum, varium, ferocem, scilicet venereos fluctus in animo: qui moventur ex æstuantibus cupiditatibus iuvenum, naturam plane marinam referentibus: alterum amorem esse auream catenam cœlo demissam, & hunc non habere faces, aut tela, quæ faciant lethalia vulnera, sed bonum furorem immittere mentibus (quæ sunt cognatæ diis) incitantem ad nativam & incorruptam pulchritudinis formam comprehendendam. In hoc & versibus lusit egregie Beroaldus in hunc modum:

Dogmata divini memorāt si vera Platonis,
Sunt geminæ veneres, est geminatus amor.
Cœlestis Venus est, nullo generata parente:
Quæ casto sanctos nectit amore viros:
Huic comes est magnus Deus, ambrosiusque Cupido,
Quem docti norunt egregiique mares.

Al-

Altera sed Venus est totum vulgata per orbem,
Qua Divum mentes alligat, atque hominum:
Improba, seductrix, petulans, lasciva, proterva,
Blandiloqua, illudens, imperiosa, procax.
Hanc comitatur amor, facilis qui pectora sensim
Vrit, & infernis imperat, & superis.

Nec ab re sacer Origenes in Cantica Canticorum scripsit, quod & spiritualis Cupido sive Amor est; & quomodo est quidam carnalis cibus, & alius spiritualis, & alia carnis potio, alia spiritus, sic est quidam amor carnalis à Satana veniens, alius amor spiritus à Deo exordium habens: & nemo potest duobus amoribus possideri, & tanquam duobus dominis servire, communicare luci & tenebris, participare cum Christo & Belial. Quod Christus asserit cum Apostolo. Nos dicemus esse tres Veneres atque Cupidines: unam divinam, cœlicam, spiritualem, castam & mundam: quā peculiari & generali vocabulo charitatem nuncupabimus; alteram contra,

tra, humanam, terrestrem; corpoream, impudicam, & immundam: quæ appellatur luxuria, voce vulgo ad id, quod præcipue intendimus, apta, etsi generali, nec incommode. Et has quidem primum tales dicimus esse, cum sui similibus, scilicet Cupidinibus. Ex quibus tertia est quodammodo mista, divina, cœlica, spiritualis, casta & munda, humana, terrestris, corporea, & quasi impudica & immunda: quæ sanctum matrimonium, & pudicæ nuptiæ, & casta mulieris & viri coniunctio nominatur, non incognita fere etiam antiquis illis Ethnicis auctoribus. Siquidem hanc viri & uxoris coniunctionem cum voluntate liberos procreandi, Cicero libro de finibus tertio, Sanctos amores dixit: ac ne à sapiente alienos esse. Anneus Seneca in Hippolyto de hac etiam ita:

Cur sancta parvis habitat in tectis Venus?

Lucanus Pharsaliæ volumine quinto:

Heu quantum mentes dominatur in æquas
Iusta Venus!

Mar-

Martialis, libro sexto:

Lusistis, satis est, lascivi nubite ....
Permissa est vobis non nisi casta Venus.

Proinde quoque putarim scripsisse Vulcatium Gallicanum, & secundum hæc intelligendum, quod ait: Avidiũ Cassium Veneris cupidum fuisse, & castitatis amatorem. Quippe, ut & senior Quintilianus ait, est quædam etiam nubentium pudicitia, & scilicet uxores ducentium, etiam si ad rẽ ipsam procliviores sunt illi dediti. Præterea, refert Cassiodorus in tripertita historia, dixisse Paphnutium, virum sanctissimum, quod castitas est, cum propria coniuge concubitus. Ait & B. Gregorius in quartum Psalmum pœnitentialem, opus castum copula coniugalis. Et notatur à nostris, quod observantes matrimonium iuste, dicuntur observare castitatem, & plerique aiunt similiter. Ad hanc vero traditionem alludit ea, quæ ab D. Augustino scripta legitur quodam sermone de tempore: Charitas, inquit, alia est divina, alia est humana. Rursus humana licita est, & humana illicita: qua meretrix

Cardin. Alex. in c. Si quis virorũ. §. j. dist. 30. 32.

trix diligitur, vel uxor aliena. Humana autem licet charitate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos, diligere cives. Sed quia omnis licita amicitia divina est, hoc est, propter Deum & ex Deo: quæ charitas dicitur, dicente Duranto: Per charitatem non diligitur proximus, nisi propter Deum: quamvis aliud genus amicitiæ possit haberi ad proximum secundum se: quæ, ut ait Augustin. in dicto loco, & inter Ethnicos & Paganos & similes videtur: & nemo amicus est hominis, nisi prius fuerit veritatis: Amicitiæ enim fons, Amor Dei: ut alibi inquit D. Augustin. Et B. Ambrosius: Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Et quia, ut ait B. Antonius epistola ad Arsemitas, non est charitas corporalis, sed spiritualis, & amans Deum; quæcunque præter matrimonialem est, minus est corporalis, sed spiritualis: divinam magis visum est omnino nuncupare, & generali charitatis nomine: matrimonialem vero, & eiusmodi aliis receptis appellationibus humanis, quæ plurimum etiam humana est, & corporalis,

In 3. sent. dist. 24. q. 1.

lis, & corporali operi destinata, lascivies Dei voluntate mundata, atque ideo etiam divina, alioquin per se immundissima. quale vas illud, de quo B. Lucas, arbitratus est Petrus, donec intellexit à Deo purificatum. Et ad rem, vas à Deo mundatum, à nobis possidendum in honore & sanctificatione, non in passione desiderii tanquam immundum, docet Apostolus; ut uxores habentes, quantum fieri potest, similes sint non habentibus, & spirituali amicitiæ tantũ & simpliciter deditis. Est igitur triplex & varia ita in universum Venus. Cum qua & illi servientẽ varie, ut par est, cęteratũ rerum amorẽ mundi ipsius intelligimus. De quo etiam meminit Augustinus dicens: Tria sunt, quæ amari à nobis bene vel male possunt, Deus, proximus, & mundus. Deus super nos est: proximus iuxta nos: mundus subter nos. Tria Deus, duo proximus, unum mundus habeat in cursu desiderii nostri. Et est in desiderio ordinata charitas. amor namque per desiderium & de Deo, & cum Deo, & in Deum ordinate currere potest. De Deo currit, quando de eo accipit, unde

Act. 10. Vide B. Aug. de civi. Dei lib. 14. c. 16.

unde eum diligit. Cum Deo, quando eius voluntati in nullo contradicit. In Deum, quando in ipso requiescere appetit. Potest desiderium de proximo & cum proximo currere, non in proximum. De proximo quidem, ut de eius salute gaudeat, & profectu: cum proximo, ut eum in via Dei comitem itineris & socium perventionis habere concupiscat: non autem in proximum, quia non est spes, fiducia, & requies in homine. Unum est mundi, de ipso currere. De mundo desiderium currit, quando in facto foris Dei opere per admirationem & laudem ardentius intus ad ipsum se convertit. Cum mundo curreret, si per mutabilitatem temporalium, sive dejiciendo se in adversis, sive elevando in prosperis, huic se conformaret. In mundum curreret, si in eius delectationibus semper requiescere vellet. Præterea, primum ad duas illas veneres, strictius amorem omnem complectentes, allusisse videtur idem Augustinus, cum dixit, duos esse rivos, qui de fonte amoris emanant: cupiditatē, & charitatē. Radix omnium malorum, cupiditas: & omnium

nium bonorum radix, charitas. Verum tu de divino illo & priori amore præcipua ſpecialius dicere incipies, & ſi lubet perages. F. Faxo, tibi obtemperans.

CAP. III.

Deus amandus.


Sent. lib. 3. diſ. 29. S. Tho. 2. 2. q. 26. S. Anto. 4. par. ti. 6. cap. 4. §. 4. &c.

CHaritatis ordinem, & quaſi gradus quoſdam ipſe quoque Tullius eſſe voluit, multoſque planius tradiderunt noſtri Theologi, aiuntque ipſa charitatis cantica: Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem. Id autem conſtat penitus, inprimis diligendũ Deum, quod & Plato ſenſit libro legum Septimo, inquiens: Humanæ quidem res magno ſtudio dignæ non ſunt. Oportet autem quod ſtudio dignum eſt, ſtudioſe ſectari: non digna vero, nequaquam: ac Deum quidem omni beato ſtudio dignum. in quo B. Bernardus, diligere quæ citra ſummum ſunt, ſumma dementia eſt, ait. Et plane ipſe Chriſtus in Euangelio: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex

ex tota mente tua. hoc, est maximum & primum mandatum. Et docet B. August. in quadam Homilia. & egregie latequè subserviunt Contemplationes illæ idiotæ vere doctissimę. Eaque charitas (ut August. scripsit) à timore incipit: & B. Greg., Ex timore inquit, honor, ex honore solet procedere amor, unde dictus honor, venator amoris, ab Anticlaudiano. Unde est, ut timor ipse Dei, primaria pars sapientiæ dictus sit sæpe in sacris. יהוה, inquit, ראשית דעת יראת: hæc illam crescens paulatim expellit, ut ait August., fitque perfecta sapientia, quemadmodum Timotheus quarto libro ad Ecclesiam scripsit, absoluta Christianorum sapientia, amor Dei scilicet absolutus. & B. Bernard., Perfecte, inquit, diligens anima nupsit verbo, hoc est, Christo. At permanet liberalis timor quidam in amore: & subtimet vere quisque amans, ne qua in re lædat, quem diligit, ipsumque amorem, erga etiam parem inferioremque. unde Libanius servus in Plauti Asinaria: Ita te obtestor per senectutem tuam, perque illam, quam tu metuis uxorem tuam, ait. Est natura

Hom. 37.

i.e. Principium sapientiæ timor domini.



tura namque comparatum, ut nihil æque amorem incitet & accendat, quam carendi metus: ut C. Plinius inquit. Unde amorem religionis, nunquam posse esse securum, religiosissimus princeps Theodosius scripsit, & insatiabilem Catholicæ religionis honorem. Etenim duplex est timoris species, (ut alterum iubar Philosophiæ tradit in Oeconomicis:) una, cum verecundia & pudore: qua utuntur ad patres filii modesti, & cives bene morati ad benevolos gubernatores: altera, cum inimicitia & odio. sicut servi ad dominos, & cives ad tyrannos iniustos, & iniquos. Neque timorem, neque amorem absque verecundia laudavit Homerus: sed ubique amare præcepit cum modestia, & pudore. quo quidem modo Helenam timentem Priamum socerum dixit., ubi quærenti Priamo de Atride respondentem facit his verbis primum:

Lib. 1. ti. 2. novel. ll. & Theo. 2.

Αἰδοῖός τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἑκυρὲ, δεινός τε.

i. e. Reverendus mihi quidem es chare socer, & terribilis.

Nihil aliud dicens, quam revereri & timere, hoc est, cũ timore & reverentia

tia diligere. In hoc tamen reprehenditur à Platone Homerus, quod voluit, ubi timor est, ibi omnino esse pudorem: quanquam non est: sed contra timor, ubi pudor est, ut princeps ille Philosophorum docet in Euthyphrone. Constat autem (quod & sanctus Paulinus scripsit ad Ausoniũ) quod ipse Deus se vult timeri ac diligi: id est, timeri illo timore, qui de amore venit: ut & notavit, varios timores memorans, Petrus Lombardus sententiarum Theologicarum libro tertio: ut sic & timeatur & diligatur. Cæterum ait B. Bernardus, timore Domini & amore perfecte affecta anima, veluti quibusdam duobus brachiis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet Deum. & ait: Tenui eum, nec demittam. idque nedum dulciter, sed & sapienter. Deus, inquit idem, vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. unde Apostolus: Rationabile, ait, obsequium vestrum. Alioquin facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam Dist. 34.

si

si efficere possit, ut in ea incaute & non cum ratione ambuletur. Igitur disce, ô Christiane, à Christo, illum amare dulciter, ne illectus: prudenter, ne deceptus: fortiter, ne oppressus ab amore eius avertaris. Qua in re cavendi sunt maxime & fortiter contemnendi tres hostes nostri, vulgo proditi, & ab eodem B. Bernardo expressim memorati, Diabolus, caro, & mundus: sicuti præclare fecisse permultos & viros & mulieres virtute insignes & sāctitate, omnes sciunt. Ex quibus surrexit ornatissimus Christianorum Senatus. Ex quatuor enim ab initio constitit hominum ordinibus, ex Apostolico, martyrum, confessorum, & virgineo. in quibus summa summarū gloria fuit, ut per pia atque inclyta facta, tam in humanis agentes, quam vita defuncti, meruerint clarere miraculis: ut recte Polydorns adnotavit Virgilius. Quanquam hos quatuor ordines in duos reducit, martyrum videlicet, & confessorum, Caius Papa: qui in vita B. Sebastiani, agens quæ Dei & officii sui erant, legitur dixisse: Dominus noster Iesus Christus præscius fra-

fragilitatis humanæ, duos in se credentibus constituit salutis gradus: unum confessionis, & alium martyrii: ut hi, qui martyrii pondus se ferre desperant, confessionis gratiam teneant, & dantes latus bellantibus, Christi militum, qui pro eius sunt nomine pugnaturi, solicitudinem gerant. Primum autem Apostolus ille & doctor gentium præcipuus, Deum prædilectum à se significans, quid inquit? Reputo omnia ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Et alibi, nihil omnino separare eum posse à charitate Dei, multis adfirmat. Tum cæteri, Obedire, inquiunt, magis oportet Deo, quam hominibus. Quod Stephanus, cum ab impiis circumseptus ceu ovis à lupis crudelibus accusaretur, & infestaretur ob amatũ Dominũ, Durâ, ait nihil veritus, cervice præditi, & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut maioris vestri. Quẽ prophetarum nõ sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui annuntiabant de adventu Iusti? Cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione Angelo-
 rum.

rum, & non custodivistis. Præterea, cum lapidibus obrueretur, & obiret protomartyrium, dicebat: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Domine, ne annumeres illis hoc peccatũ. Et ita clamabat voce magna, genibus in terra positis. Quod etiam ardenti illo erga Deum affectu libenter passus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ consummatione: ob hoc Lucianus cognominatus est, tanquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic enim duodecim diebus supra testas pollinas extensus, tertiadecima die est cõsummatus, ut Adamantius Origenes retulit. Quid B. Laurentius? Verum aurum, ait B. Ambrosius, sanctus martyr Laurentius domino reservavit: à quo cum quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit se demonstraturum: sequenti die pauperes duxit, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ, & verè thesauri, in quibus Christi fides est. De quo sic Anticlaudianus:

Par pugna meritis, & eiusdem miles in armis,

Mun-

Mundum devincens Vincentius, omnia victor
Calcat, & in vivos pugnans in morte triumphat.

De hoc, & Tyburtio egregio etiam Dei martyre, Picus Nepos ita canit:

--- Iucunda incendia Laurens
Suscipit, empyrea multum irroratus ab unda,
Atque per ardentes prunas illæsus abibat,
Maiores in corde ferens Tyburtius ignes.
Propterea fornax vastis cùm follibus auras,
Carbonum iactu, pulsaret percita, latus
Hanc nudis calcans pedibus. tam dulcia dixit
Tormenta, & sævas tam non comburere flammas,
Quam si calcasset roseos per compita flores.

Quid item Macedonius, Theodolus, Thacianus Phryges ? novissime in craticula suppositi ardere iussi, cum cremarentur, Si assis, inquiunt, carnibus delectaris, altera latera ignibus objice, ne, dum comedere cœperis,

carnes ſemicrudas invenias. Quid Papinianus? Noſtræ, inquit Victor Epiſcopus Vitenſis de perſecutione VVandalica, civitatis venerabilis Papinianus antiſtes, candentis ferri laminis toto aduſtus eſt corpore. Quid confeſſor Maſculas, de quo idem meminit? & ſanctus Fulcrannus, cuius tu vitam ſcripſiſti? Tum beatus Guimerra, primus huius antiquiſſimæ civitatis Carcaſonæ præſul? ac alii multi? notiſſima ſunt eorum ſummi in Deum amoris teſtimonia. Poſtremo, magnum ſpecimen perfecti amoris in Deum præſtitit ordo virginũ, & ſingulariter mulierum, infirmiorum licet natura, necnon in virginitatis ſimili caſtitate magna pietatis facinora edentium, quo tempore ſcilicet pectora flagrabant puritatis amore maxime, non quemadmodum nunc impuritatis & mundi iſtius: quo miſerrimo ſeculo fere unuſquiſque ad copulam tendit, ad nuptias provocatur aſſidue, quaſi damnum & turpe ſit cœlibem eſſe: & nullum maius dedecus arbitramur, quam ſi virgo noſtra ex animo nubere nequeat noſtro, & annoſior in domo permaneat. adeo tri-

cipitis

cipitis Cerberi, ceu Sirenis inimico cantui auscultantes, obsurduimus divinæ voci, dicenti Petro adhuc carnali, atque ideo omnibus similibus: Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Tum enim quidem oportet sui vel alterius caussa nuptiarum solicitum esse, si, quod Paulus ait hac in re ad Corinth. ὄτως ὀφείλει γίνεσθαι. Cæterum, nihil minus curæ esse debet, imo nihil magis curandum, quam id, ne curetur; ut plane indicat idem Apostolus, & multis epistolis docet B. Hieronymus, tum alii. Porro instituta persequens, ut ostendam quam præstans in amore Dei, & dignus ideo valde hic ordo fuerit, Christum transeo Deum, qui carne suscepta virgo esse voluit semper, & nasci de virgine perpetuo futura: & patrem putativū, educatorem proprium, necnon cognatum sibi dilectissimum discipulū, etsi alioquin maritos, virgines tamen esse optavit: mittoque similes, qui vulgo ex sacris memorantur. Refero mulieres quasdam haud vulgo cognitas. B. Cœciliam, inter alios Clichtoveus scribit, cum Valeriano nupsisset, adeo laborasse, ut quæ amori Dei tota

i.e. Ita oportet fieri.

ſe dederat, conſecraratque, in virginitate permaneret: effecitque, ut ipſe Valerianus baptiſmatis aqua lavaretur. Pluraque ille retulit ſimilia in eius virginis vitá : plurés videlicet connubio iunctos, nihilominus amore Dei virginitatem quoque ipſam retinuiſſe. Etiam auctor Theodoricus, Euſebium Samozatenum, cum in iuventute duxiſſet uxorem, in ipſo thalamo prima die nuptiarum ſponſę perſuaſiſſe, ut puritatem communi voluptati præponerent, charitatemq; fraternam adipiſci pro copulis nuptialibus erudivit. Referunt, Henricum Imperatorem, primum eius nominis (quo me etiam eo gratius eſt dici) tandem catalogo ſanctorum adnumeratum, nunquam cognoviſſe carnaliter Cungundem uxorem, ſed perpetuo cum ipſa manſiſſe virginē, quaſi cœlibem vitam agendo, concorditer ſummo amore Dei. Prodit item Eraclides eremita, libro qui inſcribitur Paradiſus, capite ſecundo, Amonem compulſum à parentibus, cum adoleſcens eſſet, coniugem accipere, ad decretum caſtitatis propoſitum verbis commodis traxiſſe ipſam vir-

virginem ; & multis annis una cum ea vixiſſe, eadem cellula,ſed diverſis lectulis. Auctor B. Grego. Turonenſium hiſtoriarum libro primo, capite quadrageſimo ſecundo, puellā quandam prima nocte nuptiarum ſuarum adoleſcentem virum, qui diu eam expetiverat, magnoque cum amore atque affectu in uxorem duxerat, dulciſſimis & ſapientiſſimis verbis ad id perduxiſſe, ut ſibi ſpoponderit tota vita ſecum actum iri caſte omnino in virginitate, ſicut ipſa decreverat, idq; pariter iacentes eodem lecto præſtitiſſe. cumque vir tandem vita hac functam deponeret in ſepulchro, dixiſſe: Gratias ago tibi Deus, quia hunc theſaurum ſicut à te commendatum accepi : ita immaculatum pietati tuæ reſtituo. Illamque quaſi vivam ſubridentē dixiſſe : Quid loqueris? quod non interrogaris? Item illum ducem clariſſimum Belliſarium, uxoris Antoninæ oratione effectum catholicū, teſtis eſt Ammonius monachus. Siſimium, qui per uxorem Theodoram converſus eſt ad fidem, memorat iuris canonici Scholiaſtes. Et Paulus Diaconus libro decimooctavo, late In c. quod autem. 28. q. 1.

commeminit, Persarum regem, ab uxore Cæsarea fide suscepta Constantinopolim attractum, cum sexaginta millibus hominum fidem cepisse: adeo validus in mulieribus amor Dei. Sanctæ etiam Gallæ B. Gregorius Papa meminit, quæ admonita à Medicis, ut ad connubium carnale rediret, alioquin barbam habitura, calore corporis nimio: maluit protinus, amore Dei maximo, infamiam illam mundi contemnere. Atque cum illi re ipsa barba prodiisset, nihilominus in castitate pervixit. Nimirum non gloriabitur Christianus in carne, sed etiam cum propter Christum lacerata duraverit, ut & spiritus in ea coronetur, non ut oculos & suspiria adolescentiũ post se trahat, ait Q. Septimius. Qui & memorat, suo tempore solemnitatem fuisse maximam apud Lacedæmonios, quæ dicebatur Diamastigosis. in quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis affligebantur, adstantibus parentibus & propinquis, & uti perseverarent adhortantibus. Id quod ex Lycurgi præscripto originem habuisse planum est. Quod quidem tamen non iniuria

notatum

notatũ à Gymnosophista Thespesione apud Philostratum, ab Anacharsi quoque antea damnatum est: quem Lucianus in dialogo de gymnasiis differentem introducit cum Solone, improbantemque & pulveris illam cum lucta agitationem puerorum Atheniensium, & Lacedæmoniorum verberationem lororum (uti est etiã in Iovis filiis apud Theocritum; & pœnis Longobardicis) mutuo perferendam, vanas & inutiles ac malas contendens: quas tamen defendit adversus Thespesionem Tyaneus. Et certe Christianis hominibus convenientes nemo sanus negarit, & aliquando commodas, & similes animi nostri afflictiones. Anne possumus dicere peccatum non habere nos? Etiam, dicet impius. Christus enim omne id abstulit, qui nos redemit de maledicto legis, ut consortes regni eius efficiamur. Quî igitur ipse præcepit nobis quotidie orare, inter cætera illud: remitte nobis debita nostra? ut mittam cætera. Id igitur minime verum, nec ideo assentiendum. Alioquin, ut ille ait, nos ipsos seducimus, Idcirco & se ipsos

I. fin. de aggress.

seducunt contra etiam præceptum Apostoli dicentis. Nemo se seducat. Qui delirant, nõ dolendum unquam, nec aliquando corpus affligendum, sed gaudendum prorsus, etiam in passione Domini, neque volunt conglorificari tales, sed Christi esse exhæredes. Audi Apostolum: cohæredes is nos asserit Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur. At quid passus est Christus? A planta pedis, inquit Propheta, usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas. At num propter sua facinora? sanctũ pectus, sancta anima, sancta caro, & sanctissimum verbum Dei. qui peccatum (ait) non fecit, nec est inventus in ore eius dolus. Sed forsan hæc invitus omnino passus est, & ab aliis etiam piis. Nequaquam. Oblatus est, quia ipse voluit, & tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum. Qui adversus semet ipsum à peccatoribus sustinuit contradictionem, & cum persequerentur eum impii, procidens in faciem suam, oravit, & dixit: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. & is pro nobis

tan-

tandem mortuus est: & nos pro eo. imo eius amore pro nobis, nihil agemus huiusmodi? Nihil pro peccatis nostris de carne nostra remittemus? animæ indulgebimus? semper in delitiis manebimus, & in gaudio? in gaudio inquam isto mundano, & corporali, non tam gaudio, quam dolore, si quis verius animæ gaudium, & internā ex pœnitentia provenientem consolationem & lætitiam gustaverit. Probe igitur his adfici videmus Catholicos & devotos Deo homines, præcipue vero, ut par est, plerosque religionis exactioris professores: quando & Paulus ait, etsi nihil sibi conscius, se castigare, & in servitutem redigere corpus suum. Decidunt & Theologi, licere homini breviare sibi vitam, pœnitentiam agendo: & scilicet bonum esse, si modo quis id non affectet, vel prætēdat. Quod tamen etiamsi non prætendat, imputatur ei, qui per se improba agit, ut voluptuose talia exercens. Qua in re quoque videbitur facere, quod traditur alibi Christum, ob labores & abstinentias, pro nobis quotidie agere solitas, cum vix tri-

Vide Niderum in cōso. timo. consc.

ginta annos natus esset, visum quinquaginta natum. Ad quæ idem vetus, multique factus auctor Arnobius in psalmum centesimum sextum dicit: Quare hoc? inquiunt seculi homines, quid sibi volunt ista religiosi? plorare? sedere in vinculis? sedere in tenebris? Ubi est scriptum? Ecce hic scriptum. Quia illam animam respicit Deus, quæ sedet in tenebris & in vinculis, pro eo quod exacerbaverit Dominum, & consilium Altissimi spreverit. Quanquã διαμαστιγώσις etiam illa laudanda nõ sit, quam etiamnum durare apud Italos Beatus Rhenanus testatur: indigne tamen se ferre dicit Sidonius ad Philagrium, lachrymas omnes perire, quas quisque profuderit, quoties Deo supplicat. Nam his se vult guttis cogier ipse Deus, & his est undis vis & potentia maior. Ut & lato ænigmate docet Hadamarius. Valeant igitur Buceristæ, furiosæ superstitionis illos notantes, quorum ardentissimam atque gloriosam fidem prædicat Apostolus: quos velut duces & antesignanos transigendæ in vera religione vitæ, nobis commendat & proponit illa

sancta

ſancta Eccleſiæ Christianæ antiquitas: qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, errantes in ſolitudinibus, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ. Atque ideo Christi præcurſorem & Baptiſtam, quo nemo ſurrexit maior, teſte Christo, inter natos mulierum, hac nota præſtringunt. Quo levius ferre debent omni virtuti inſtantes monachi hanc iniuriam, qua una cum haud dubie optimi à peſſimis perſtringuntur: defenduntur item ab optimis magnifice. quos Pighius inquam ille Magnus, & Scepperus, anteſignanos fideliſſimæ vitæ prædicant, ſapientiſſimos Christianorum Procopius iam olim dixit. Magnis antea quoque huius farinæ inter Iudæos laudibus attollit Solinus dictos Eſſenos: quibuſcum converſatum Ioannem Baptiſtam & Christum in primis adnotat Zieglerus. Quod ſi verum eſt, ut non ab re creditur, quam futiliter in hanc rem docuit Eraſmus, probari Deo non poſſe opera, niſi quæ iuxta pręceptum eius, eo ſpectent, & ad id valeant, ut proximo ad bene pieq; vivendum commodetur per ea, quaſi per eiuſmodi

vitam

vitam & illius commoda opera, non etiam proximo, hoc est, sibi inprimis, cum unusquisque sit primum proximus sibi, deinde cæteris, ut mittam cætera, vel per orationes, quibus maxime sustinetur orbis, commodum maximum adferatur. Sed hoc etiam late Pighius, tum alii, confutant. At nescio quomodo excessi fere pomeria. G. Nempe charitate, quasi vino inebriatus: siquidem ubera charitatis meliora vino sunt, & fragrantia unguentis optimis. Ego vero te patienter auscultabam, & suavissime contemplabar ardescentem amore Dei eximio, & quasi vento pietatis amabili agitatum. F. Amandus itaque Deus. Namque, ut B. Gregorius ait, unusquisque aut Hierusalem civis est, per amorem Dei, aut Babylonis, per amorem seculi. Et in primis amandus perfecteque, ut plene cognoscatur Deus: ibi enim plena desideratissimaque Felicitas & finis noster. Non multum prodest habere zelum Dei, & non habere scientiam Dei, ait Origenes, iuxta Apostolum. quod in universum verum est. Inquit & beatus Bernardus: Deus non plene cognosci-

gnoſcitur niſi ab his, à quibus perfecte diligitur. attamen in hac vita haud quaquam poſſe haberi perfectiſſimam charitatem. atque ſiquis contrarium arbitretur, hæreticum eſſe traditur. & ut non debemus frui, niſi Deo: ita eo non poſſe frui nos hic niſi per ſpeculum & in ænigmate, non ut aliquando, ſi perſeverantes in cœlos perducemur, proprie, perfecte, & plene. Cognitionem autem quandam eius, quod quis eſt amaturus, præcedere oportet, & ſic Dei: quam & ipſe Deus ultro credituris in ſe ſuppeditat. Neceſſe eſt, ait Ficinus, ut aliquomodo cognitum nobis ante fuerit, quod amemus, & tanquam bonum nobis & iucundum fuerit iudicatum, & id aſſequi nos poſſe videamus & ſperemus. Unde apparet charitatem, & fidem & ſpem includere. ut his haud dubie maior ſit (quod ait Apoſtolus) charitas, qua nos trahit ad ſe Deus, omnes volens ad agnitionem veritatis venire ſalvos. Privatio autem huius, id eſt, dilectionis Dei, radix eſt omnium delictorum, ut inquit Auguſtinus: & ea deſtitutus, nihil aliud eſt, quam

Fran. Syllac. lib. de fide cath. c. 55. Pet. Lombard sent. 1. dist. 1.

i.e. pondus inutile terræ.

ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. כפרד אין הבין סכוס sicut equus, sicut mulus, nil intelligēs. quemadmodum ipse plane denuntiat Apostolus, εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα, μαραναθά.

i.e. Si quis non amat Dominum Iesum Christũ, sit Anathema, Maranatha.

CAP. IV.

Homo amandus.

DEinde hominem amandum & Plato censuit: qui, ut ait, Dei ludo factus est. atque id vere ipsius optimum. Dei ludum dixit, opinor, Atticus Moses, seu Dei ludo factum hominem, adludens ad id, quod sacra Hebræa habent, artificem omniũ Dei sapientiam, ludentem in orbe terræ suæ, delectationes habere את בני ארם. Ad hæc Tullius, Communis, inquit, hominum inter homines naturalis commendatio est, ut oporteat hominem ab homine, ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Ob id ipsum, quod homo sit, dixisse videtur: quoniam simile à simili maxime à natura ametur, præsertim optimum quid & admirabile: qualis utique est homo. Quo nihil admirabilius hic videri Abdalas Agarenus respondit. Et, ut diu ante hunc τρισμέγιστος ille Iethro sive Her-

i.e. filios hominis.

mes Madianita socer Mosis Septinomius dixit, magnum miraculum est, animal adorandum & honorandum, quippe qui μικρόκοσμος, imo μεγάκοσμος, &, ut Theocritus habet, σοφὸν τι χρῆμ' ὁ ἄνθρωπος. Ut autem in membris, inquit Cicero, alia sunt tanquam sibi nata, ut oculi & aures, aliqua etiam cæterorum membrorum usum adiuvant, ut crura, ut manus: ita immanes quædam bestiæ sibi solum natæ sunt. At qui nate iis, concha, quod eã custodiat, Pinotheres dictus, in eam cum se recepit, includitur: ita ut videatur monuisse, ut caveret. Item forminæ, apes, ciconiæ, aliorũ etiam caussa quædam faciunt. Sed & oculi, sane pedes & manus dirigunt, & toti prævident corpori, maxime pluribus in rebus, quid noxium sit atque utile. & aures similiter. Et omnes quodammodo bestiæ proprium genus curant. Quin & ipsum hominem amare plerasque certo cognitum est, & vicissim amatas ab hominibus supra modum. Apud Baulos in parte Baiana piscinam habuit Hortensius, orator clarissimus, ubi murænam adeo dilexit, ut exanimatam flesse credatur. In eadem

Parvus mundus, magnus. mundus.

Sapiens quædam res est homo.

eadem villa Antonia Drusi, murænæ, quam diligebat, inaures addidit, Et hi quoque ab ipsis murænis signis singularibus diligi videbantur. Memoratur à Q. Curtio equus Alexandri Bucephalus dictus, qui nec in dorso insidere suo patiebatur alium, & regem ipsum cum vellet ascendere, sponte sua genua submittens excipiebat, credebaturque sentire quem veheret. adeo dominum amabat, à quo & plurimum amabatur. Similiter Cæsar, Suetonio teste, equo usus est insigni, pedibus prope humanis, & in
Lib.8.c. 40.& 42. modum digitorum ungulis fissis: quē
Lib.7.c. natum apud se, nunquam patientem
8.c.17. sessorem alium, aluit. Tum de equis benevole & fideliter affectis pluribus erga dominos suos, & canibus, pariter multa recenset Plinius. Et de delphino amatore pueri maximo, historiam refert Aulus Gellius, & plura illi similia Polyhistoricus Iulius. & multa quoque collegit Textor in sua literaria officina, de plerisque amatis admodum à bestiis hominibus, & ab his, bestiis. Notum, Romulum lactatum à lupa, Hieronem regem Syracusanorum ab apibus enutritum,

Semi-

Semiramidem ab avibus; Habidem Tartesiorum principem, ut retulit Alexander ab Alexandro, à cerva; Telephum, Milesiorum regem, (ut auctor est Lucianus & plures alii) etiam à cerva; Cyrum Persam, eum, qui prior regnavit, à cane; Peliam ab equa, Paridem ab ursa, Ægysthum à capra. ut mittam alios vulgò narratos, & sanctos plerosque, quos diceret aliquis divinò miraculo magis, quam naturæ affectu similiter educatos. Ac, quod diximus, nedum se ipsæ bestiæ & mutuo amant: verum & plantæ, ut palmæ, quemadmodum Leontius auctor antiquissimus, & plerique alii adnotarunt. Quid? quod magnes ferrum ad se trahit, attractum tenet? nónne amicitia quædam etiam rebus huiusmodi, licet insensibilibus videtur? Quin etiam, breviter ut cecinit Claudianus:

Nónne vides, operum qui se pulcherrimus ipse
Mundus amore ligat, nec vi connexa per ævum
Conspirant elementa sibi? qui limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pōtus?

Et

Et qui perpetuo terras ambitque, vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec cesserit aër?

Multo vero magis hæc dilectio est hominum inter se, & coniunctio: qui οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσμεν παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης, sed ex humo unius naturæ sumus omnes, maxime communis & propensę: ex eodem sumus; ad eundem tendimus finem. Itaque natura sumus apti ad cœtus, concilia, civitates. Quodque nemo in summa solitudine vitam agere velit, non cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intelligitur, nos ad coniunctionem, congregationemque hominum, & ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur vero etiam natura, ut prodesse velimus quamplurimis, inprimisque docendo, rationibusque prudentiæ tradendis. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat, ipse non tradat alteri. ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum est, vi pro vitulis contra leones summa ut impetuque contendant; sic hi, qui valent opibus, atque

i. e. Neque enim ex antiqua quercu, aut ex petra.

atque id facere possunt, ut de Hercule & de Libero accepimus, ad servandũ genus humanum natura incitantur. Atque etiam Iovem cum optimum & maximum dicerent, cumque eundem salutarem, hospitalem, statorem, hoc intelligi voluit Cicero, salutem hominum in eius tutela esse. Quod vero de nostro Deo, vero omnium ac unico Deo, nos accipiemus: qui verus est Iupiter, à iuvando dictus: cui Liberatori, libare se suum sanguinem, cum iussu Neronis impii necaretur, Seneca dicebat. Cui Clodoveus primus Christianorum Galliæ nostræ regum, in bello periclitans, ut obtineret, acclamavit: *Mon Iove, saint Denys.* Et dicemus cũ Cicerone, minime vero convenire, cũ ipsi inter nos abiecti neglectique simus, postulare, ut diis immortalibus chari sim⁹, & ab his diligamur, hoc est, Deo & divis. Idcirco orare præceptum est nobis, ut refert B. Luc. in hæc verba: καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν.

Ita scilicet ut oramus primum facere adhortati, iuxta id, quod alibi docemur, quod, si offerẽtes mun⁹ in altari recor-

Et remitte nobis peccata nostra, nam & nos remittimus omni debitori nostro.

recordati fuerimus fratrem noſtrum habere aliquid adverſum nos, relicto ibi munere, inde abeundum, ut reconciliemur fratri; & eo facto ita demum munus Deo offerendum.

CAP. V.

Amandus quiſque à ſeipſo.

AT inter homines primum ſe ipſum debet diligere homo, ſicuti dicto ſuo Chriſtus ipſe manifeſte oſtendit, & beatus Auguſt. docuit, dicens: Primum dilige Deum, deinde te ipſum: poſthæc dilige proximũ tuum ſicut te ipſum. Primum tamen diſce amare te ipſum. Nam ſi te ipſum non noſti amare, quomodo proximũ poteris in veritate diligere? Ideo dixit Chriſtus: Dilige proximum tuum, ſicut te ipſum. Et Cicero Tuſculanorum tertio: Præclarum illud eſt, inquit, rectum quoque & verum, ut eos, qui nobis chariſſimi eſſe debeãt, æque ac noſmet ipſos amemus. At vero plus fieri nullo pacto poteſt. Aitq; B. Antonius. Qui malefecerit proximo, ſe ipſum afficit malo: qui vero ei bene fecerit, ſibimet hoc facit. Qui potue-

potuerit diligere semet ipsum, diliget nihilominus omnes: qui cognoverit semet ipsum, universos cognovit, atque ideo proximum eiusdem naturæ consortem. Etenim proximus sibimet quisque est, ut vult ille Terentianus, & magis, quam quivis alius: quemadmodũ & proverbium docet, quod tractat in oratione illa proverbiali Beroaldus, & Plautus habet: Tunica propior pallio est. Nec minus elegans illud, quod egregius doctor noster Ioannes Imoleus ait; Plus stringit interula, quam tunica. Unde Ovidius alicubi inquit:

In l. hæredes mei. §. peto à te ex. ad Trebell. ff.

Sed propior, certe, quam pater, ipsa sibi est.

Sed quomodo & nos & proximum diligere oportet? Nonne, ut lepidissime ait Augustinus, quomodo audimus gulosos dicere: amo turdos? nunquid sic amandi sunt homines tanquam consumendi? Item putant nonnulli homines, legitimo ordine sese amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando libidini serviunt, quando per iniustas calumnias iniusta lucra conquirunt.

Sed

Sed quam cæcus ineſt vitiis amor! omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum.
Et ruit in vetitum damni ſecura libido,
Dum mora ſupplicii lucro, ſerumque quod inſtat,
Creditur.

Ut canit Claudianus. Profecto ſe hoc modo oderunt ac proximum homines, dicente etiam ſcriptura: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Tum, qui calumniatus eſt proximo ſuo, odit ipſum proculdubio. Aitque Martianus noſter: Qui ſibi non pepercit, multo minus alii parceret. Etenim ſancta eſt virtus, fugiens ab omni dolo, ait B. Anton. Quam amplexando, vere quiſque Deum, ſeipſum, & proximum diligit. quæ; ut ait Plato, *δεινοὺς μὲν ἂν παρεῖχεν ἔρωτας ἑαυτῆς, εἰ τοιοῦτον ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.* & Tullius, Sumus, inquit, natura ſtudioſiſſimi appetentiſſimique honeſtatis: cuius ſi quaſi lumen aliquod aſpexerimus, nihil eſt, quod, ut eo potiamur, non parati ſimus & ferre & perpeti. Sicut & de præmio ipſius

Admirabilem ſui amorem exhiberet, ſi perſpicua eius imago in oculos noſtros incurreret.

ipsius, inquam, verè perfectæ, ut par est, testatus est Apostolus, dicens; Non esse condignas passiones hujus seculi ad futuram gloriam: neque aures audivisse, neque in cor hominis ascendisse, quæ præparavit Deus diligentibus se. quorum scilicet ipsæ etiam animæ, virtute & sapientia tam pulchra factæ pulcherrimæ, divini sponsi vocem merentur audire huiusmodi: Quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Et cætera, quæ in sacris sunt Canticis. O igitur, quod & Minucus Felix ait, miro ardore cõplectenda σοφία, quòd prudens sanctaque sit, intemeratiorque cunctis pulchriorque virginibus. Hæc etenim dilectio sapientia est. Quomodo scribit B. Bernardus: Si quis sapientiam virtutis amorem diffinierit, non à vero deviare videbitur. Vbi autem amor est, labor non est, sed sapor, & forte sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedẽs, quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sa-

pientiam ſaporem boni definiat, quẽ pene ab ipſo exortu generis noſtri perdidimus. Proni ſunt, inquit, ſenſus humani in malum ab adoleſcentia ſua, hoc eſt ab inſipientia primæ mulieris, ait idem B. Bernard. Cæterum prædictis conſentit B. Ambroſius, dicens: Amant ſe bene, qui in ſe Dei opera amant. nam & Deus hoc amat in nobis quod ipſe fecit, & hoc odit ꝙ ipſe nō fecit. hoc eſt peccatū. quando etiam docet B. Ioannes, Omnia per ipſum facta eſſe, & ſine ipſo nihil. quod ipſum intelligitur peccatū. de quo dicitur per Amos prophetā, Væ amantibus, qui lætamini in re nihili. Juxta illud quod ijſdem alibi dicitur: Lætantes ad faciendum malum, exultabunt in perverſitatibus voluntatis Dei. Et libido dicta eſt inde à Mythologiſta, Dulce nihilum. Itaque omnimodo cavendus eſt nimius amor ſui, qui φιλαυτία dicitur, imperitiæ, temulentiæ; & huiuſmodi nutricum ſtultitiæ, pediſſequa, huicque propè par adulatio ſoror, uti ait Eraſmus. Quo magis; teſte Tullio, omne animal ſimul atque eſt ortum, applicatum eſt ad ſe diligendum: omnis natura diligens & con-

& conservatrix est sui, ut & salva sit, & in genere conservetur suo. Omnium, inquit Plato, maximum quoddam malum in multorum hominum animis est innatum: cuius quidem, cum facilè sibi ignoscant, remedium nullum excogitant. Est autem hoc quod dicere solent, quòd naturâ sibi quisque amicus est. Rectéque est ita id se habere. Sed revera nimius in se amor, omnium peccatorum omnibus semper est causa: Obcæcatur nempe circa amatum, qui amat. Quapropter qui se amat, cùm seipsum magis quàm veritatem honorandam putet, quid iustum, bonum, pulchrum sit, malè iudicat. Decet sanè eum qui magnus vir futurus est, neque seipsum, neque sua diligere, sed iusta semper, sive à seipso, sive ab alio potiùs gerantur. Ex hoc ipso delicto accidit omnibus, ut ignorantiam suam esse sapientiam opinentur. Hinc fit, ut quamvis nihil, ut ita dicam, sciamus, scire tamen omnia arbitremur. Cùm verò nec aliis committamus facultatē agendi, quæ ipsi facere ignoramus, facientes errare compellimur. Qua in re subnotatur Adrianus lau-
 datis-

datissimus aliâs Imperator, qui, ut Aelius Spartianus habet, professores omnium artium, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit, cum ipsis professoribus & philosophis, libris & carminibus invicem editis, sæpe certavit. Et Phavorinus quidem, cum verbum eius quoddam ab Adriano reprehensum esset; & ipse cessisset Phavorinus, arguentibus amicis quòd malè cederet Adriano, de verbo quod idonei autores usurpassent, risum iucundissimum movit, dicens: Non rectè suadetis, familiares; qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones. Facete nimiùm stultam eius arrogantiam & φιλαυτίαν notans. Quamobrem, inquit Plato, nimium sui ipsius amorem fugere quisque debet, & meliores sequi, nullo rubore verecundiæ impeditus. Nimium verò sese quoque amant homines ut plurimum, quum plus vel minùs, quàm convenit, imprudenter vivere affectant. Amor vitæ, inquit Seneca, ut non est abjiciendus, ita minuendus est: ut quando res exegerit, nihil nos detineat, nec impediat, quominus

minus

minus parati ſimus, quod quandoque obeundum eſt, ſtatim obire, æquo animo ſcilicet & noſtrorum quorumcunque quantumvis dilectorum eiuſmodi caſum ferre. Et ante omnia illum quoque Seneca vitari voluit affectum, qui multos occupavit, libidinem ſcilicet moriendi: quæ inquam imprudens, & præter autoris vitæ voluntatem exiſtens, illis etiam deputatur, qui ab Apoſtolo quoque dicuntur φίλαυτοι. Qui quidem cum Moſe, Iob, Tobia, & ſanctis aliis, ita videtur finem vitæ huius optaſſe, ſi videlicet nihil hîc ea eſſet opus ſecundum Dei voluntatem. Verum in deſiderio vitæ iſtius magis (quod mirum eſt) delinquitur, & timetur plus nimium mors: quā nec infantes nec pueri nec mente lapſi timent. Quare, inquit ille, eſt ſanè turpiſſimum, ſi eam ſecuritatem nobis ratio nō præſtat, ad quam ſtultitia perducit. Non vivere bonum eſt, ſed bene vivere. Itaque ſapiens vivit, quantum debet, non quantum poteſt. Clementiſſimus portus eſt aliquando petendus, nunquam recuſandus, in quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis

gis queri debet, quàm si citò navigavit: vel scilicet, qui è corporis vinculis tanquam è carcere evolavit & custodia: ut habet Cicero. Pellantur, inquit, istæ ineptiæ penè aniles, ante tempus mori, miserum esse. Quod tandem tempus? natúræne? At ea quidem dedit usuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectę sufficienter functus est munere. Nos igitur illi, scilicet quantum fieri poterit, incumbentes, & Dei benignitate freti, si quid tale acciderit, ut à Deo denuntiatum videatur, ut exeamus è vita læti; & agentes gratias pareamus, emittique nos è custodia, & levari vinculis arbitremur, ut planè in nostram domum remigremus, ipsamque æternam; omni molestia carituri, cuncta verò commoda cælestia habituri. Magnum enim fuerit solatium perpetuæ mortis effugisse periculum, & planè iam ipsam mortem, qua tenentur perpetuo igni immorientes impii, præsertim יכופרין quemadmodum dicunt Chaldæi, qui negant primum fundamentum, hoc est Deum, & inde substantias sepa-

paratas omnes, ipſiuſque animæ poſt corporis lapſum durationem, quæ ſola naturali ratione longè credibilis eſt; qua non temerè, nec fortuitò, vel, ut cætera animantia, ad hanc tantùm vitam ſatos & creatos, dominos omnium, ſolos rationis capaces, homines eſſe convenit. Sed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod, cùm exanclaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum, quemadmodum ait Cicero. Cuius mitto cætera: ſed & Platonis, & inter noviſſimos Franciſci Pici, & Gulielmi Poſtelli, & aliorum multorum, multa omnino in hanc rem ſufficientiſſimè dicta. quibus nec, quantumvis opinor maximis & perſpicuis, perſuaderetur gens illa cæca, quæ lumen veritatis, Deum rejiciens, prorſus abegit, nec admittit, ideò & derelicta à Deo: noſtri, prò dolor, ſeculi magna ex parte latens peſtis: quã primùm credibile eſt feciſſe iſtam φιλαυτίαν, & nimium huius vitæ amorem: ut quia nimium amatur, & perplacet, nulla ſperetur alia, atque adeò non credatur. In quem vitæ amorem

etiam hæc cecinit Tragœdus Seneca:
Heu quàm dulce malum mortalibus
additum,
Vitæ durus amor, cùm pateat malis
Effugium, & miseros libera mors vocet:
Portus æterna placidus quiete!
Nullus hunc terror, nec impotens
Procella fortunæ movet, aut iniqui
Flamma tonantis.
Vnde & Adrianus Imperator, ignorans, quę bona amitterent verum Deum & cultum eius non agnoscentes, & quæ mala incurreret, moriens, hos versus fecisse dicitur ab Spartiano, lætus, vel potius subtristis.
Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula!
Nec ut soles dabis jocos.
Atque, si Socrati credimus, ipsæ bestiæ irrationales, Cygni videlicet, lætabundi bonum mortis videntes, sive præsagientes, cùm moriuntur, canunt, & suavius quidem, quàm anteà consueverint. Hoc tamen minimè verum omnino apparet, eò quòd prorsus moriantur bestiæ, ac ideò bo-
num

num vitæ ſuæ amittentes, nihil commodi penitus conſequantur: exploſo dudum errore, qui magno Origeni impingebatur, quo dicebatur Deum perpetuam vitam etiam daturum beſtiis, ex Pſalmo, in quo habetur: Hominem & beſtiam ſalvabis, Domine. Quo nihil iuvatur ille error, quoniam intelligendus eſt omnino Deus ſalvaturus omnia ſecundum ſuam naturam: Hominem quidem, qui creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſuper quem ſignatum eſt lumẽ vultus eius: animam cæleſtem habentem, unà cum erecto etiam corpore, ad æthera ſemper aſpirantem, ſi quidem illam purificatam ſervaverit, ut illic vacuas perpetuò impleat ſedes: Beſtias autem & reliqua propter dominum hominem facta, ut illis pro neceſſitate huius vitæ ad utilitatem ſuam ſine iniuria uteretur homo, eatenus per ſucceſſionem generationis duratura, quatenus homini opus ſit hic victuro, ad diem uſque magni iudicii. Quo, numero electorum completo, curſus cæli ſyderumq; ſiſtetur, atque ideò omnis quæ fit ſub hoc concavo orbis lunæ generatio &

corruptio cessabit, & purificati cæli & elementa suo in loco stabunt, superinducto universę terræ igne. Deus in cælo per excellentem habitationem supermo, cum beatis Angelis & hominibus, Satan in imo terræ, hoc est totius mundi centro horrido, cum suis Angelis & hominibus reprobis ætatem aget, prout variè meruerint. Atque hic cùm quotidie perdere nitatur, unà cum homine, quæ illi serviunt, Deus contrà illa semper servet, opus est. Vnde Salvator iuxta prædictum psalmum, est רבחמת. Itaque per eum sancti putantur curare etiam iumenta, quibus divisor donorum Spiritus specialia impertitus est dona sanitatum: & multi olim sanasse irrationalia, hominis causa, etiam perhibentur: defuncta etiam suscitasse, Deo restituente scilicet vitalem spiritum, quem & cum corpore creaverat. Narratur beatus Germanus, vitulum unicum pauperi & grato subulco interemptum, viventem restituisse & asinum proprium, quo vehebatur, mortuum etiam vitæ reddidisse. Vaccam etiam Severus refert à dæmone agitatam liberatam à sancto Martino.

Scri-

Scribit quoque beatus Hieronymus, quòd ad B. Hilarionem bruta quotidie furentia pertrahebantur. In quibus Bactrium camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriverat, triginta & eo amplius viris distentum solidissimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, volubilis lingua turgebat, & super omnem terrorem rugitus personabat immanis. Quem iussit dimitti sanctus: statim verò & qui adduxerant, & qui cum illo erant, usque ad unum omnes defugêre. Porrò ille solus perrexit obviam, & sermone Syro, qui ibi vulgaris erat, inquit: Non me terres, diabole, tanta mole corporis, & in vulpecula, & in camelo unus & idem es. Atque interim porrecta stabat manu. Ad quem dum furens & quasi eum devoratura bellua pervenisset, statim corruit, submissumque caput terræ coæquavit: mirantibus cunctis, qui aderant, tantam ferociam tam subitò in tantam mansuetudinem mutatam. Docebat autem Sanctus, hominum causa diabolum etiam iumenta corripere, & tanto eorum ardere odio, ut non so-

lum ipsos, sed & ea, quæ ipsorum essent, cuperet interire. Huiusque rei proponebat exemplum, quod antè quàm B. Iob tentari permitteretur in se, omnem substantiam eius perdiderit, iumenta eius etiam interficiens. Nec movere quempiam debere, quòd Domini iussione duo millia porcorũ à dæmonibus interfecta sunt, siquidem eos, qui viderant, non potuisse aliter credere, exisse de corpore hominis tantam dæmonum multitudinem, nisi grandis porcorum numerus & quasi à multis actus pariter corruisset, ait ille. Non ergo quòd bonum mortis sibi sentiant, vel præsagiant, sed fortè domino homini quidem probo canunt etiam sonorius & dulcius morientes olores, & quod planius est, ut Philelphus docuit, quoniam natura studiosa conservandi sui, vitales omnes spiritus per corpus dispersos contrahit ad cor, tanquam ad arcem vitalis præsidii ac roboris. Sed ubi natura frustra diu multumque luctata, necessitati parêre tandem cogitur, spiritus illi, deserta cordis statione, emergentes, impetu quodam intrinsecus, per anulares illos longissimi

ſimi colli ambitus, ad os ipſum, ſonum quendam planiorem efficiunt muſici cantus ſimillimũ. Quamquam & fabuloſum hoc dici poteſt. Deinceps hi amant ſe nimis, quibus mortuis non ſatis eſt honeſto eccleſiæ ritu ſepeliri, ſed volunt ſepulturam fieri mundo magnificam & pretioſam, ſe auro, ſe argento condi, & ſerico operiri, quaſi ſe ipſi divos declarantes, & ſancta ſua corpora: non animadvertentes, quòd qui ſe exaltat, humiliabitur. Nec mirum. hi enim tales eſſe ſolent, qui cùm ſemper elati fuerint & ſuperbi, ſeipſos tantum amantes, neglecti ſatis recordari neſciunt, in ipſa etiam morte, Dei: qui, ſicuti Heſiodus quoque canit,

Ῥεῖα δὲ μὲν βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει·
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει.

Facile enim extollit, facile itidem elatum deprimit,
Facile inſignem minuit, & obſcurum auget.
Facile quoque corrigit pravum, & ſuperbum attenuat.

Unde illa & quæcunque ſimilia ineptiſſima cupiunt, contrà canente etiam Horatio: *Ab-*

Absint inani funere neniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ.
Compesce clamorem: ac sepulchri
Mitte supervacuos honores.

Et Cyrus Persarum rex sapientissimus, dicitur à Xenophonte monuisse filios, uti cùm mortuus esset, eum non in auro conderent sive in argento, vel alia ulla prorsus re, quàm terra, cui redderent quam primum. Quid enim, inquit, hac re beatius, quàm terræ misceri, quæ pulchra omnia, & gignit & nutrit? Ego verò & aliàs me humanum præstiti, & nunc iucundè mihi videor eius rei particeps fieri, quæ benefica est in homines. benefica inquam etiam, ut canit Cornelius,

Dum pretium vitæ grata rependit humus.

Insulsè verò nimis Diogenes Cynicus, qui projici se jussit inhumatum. cui amici: Volucribúsne & feris? inquiunt. minimè verò, ait ipse, sed bacillum prope me, quo abigam, ponite. Quid poteris? aiunt illi: non enim senties. Quid igitur, inquit, ferarum laniatus mihi oberit nihil sentienti? Similiter Demonax à Luciano celebratus,

bratus, aliquanto antè, quàm moreretur, interrogante quopiam de sepultura: Ne vos hæc cura remordeat, inquit: fœtor me sepeliet. Respondente autem illo, An non turpe foret & nefarium, si tanti viri corpus volucribus & canibus dilaniandum objiceretur? Nihil absurdum est, inquit, si mortuus quoque nonnullis animalibus utilitatem aliquam allaturus sim. Socrates autem à Critone rogatus, quemadmodum sepeliri vellet: Multam, inquit, amici, operam frustrà consumpsi. Critoni enim non persuasi, me hinc avolaturum, neque quicquam me relicturum. Verumtamen, Crito, si me adsequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito: sed mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur. Egregiè id quidem, qui & amico permiserit, & se ostenderit de hoc toto genere nil curare. Sic autem videtur loquutus, quoniam hominem esse, & se, solam animam arbitrabatur: aut sanè arrogantiùs putans, & ambitiosiùs adnuens, se cum corpore raptum iri in cælum. Quemadmodum Mahumedes etiam legitur

in

in Arabum monumentis præcepisse suis, ne se sepelirent: tertia videlicet die, sicut Christus, resurrecturus, & continuò assumendus in cælum, nebulo ille, qui mortuus & diu expectatus, cùm nihil aliud, quàm fœteret, admodum indignantibus illis, tandẽ, ut retulit Humbrem, nudus projectus est. Præclarè Anaxagoras, qui cùm Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, vellet Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, adferri? Nihil necesse est, inquit, undiq; enim ad inferos tantundem viæ est. Cæterùm, quantum consuetudini famæq; dandum sit, curent vivi: ita ut intelligant, nihil ad mortuos pertinere, ait Cicero. Quasi etiam dicat, id vivorum esse solatium; quod ait divus Augustinus. Cui etiam hoc tantum videtur prodesse defuncto, ut apud memoriam martyrum sepeliatur: ut commendans eum etiam martyrum vel potius Christi patrocinio, adfectus pro eo supplicationis augeantur. quibus ille concludit verbis librum elegantẽ, De cura gerenda pro mortuis. Sed mihi videtur etiam, corpora defunctorum apud sanctorum memo-

memorias, & terra ſacra condi, & ſimilia, prodeſſe piis, & gaudium quodammodo placidum adferre animabus, ſi terrena hæc animas cogitare credibile ſit. Cæterùm quoque in uſu vitæ peccamus, nimis nos amantes, vel etiam noſtros, amore nimio magnificarum domorum, quos non poſſidere ipſas, ſed ab his poſſideri Tyaneus dixit, & pretioſarum rerũ, delitiarum inquam, & voluptatum magnarum multarumque. Quarum cùm effectrix ſit pecunia, ut Cicero habet, ipſam quoque nimiùm amemus, ſummo cum noſtro & proximi noſtri malo, oportet. Quæ quantum creſcit, tantum ejus amor imprudens & infelix creſcere conſuevit. Sicuti Iunius Satyricus ait:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa
pecunia creſcit.

Quam ideò nullus non oderit potius ſapiens: quemadmodum Plautinus ille inquit: Odi ego aurum: multa multis ſæpe ſuaſit perperam. Unde pronuntiavit Muſonius Philoſophus, ἄξιον εἶναι κακὸν τοῦ ἀργυρείου. Ejuſmodi generis amor eſt notabilis, quo beſtias ſine ratione imprudenter nimiũ amamus, i. e. dignum eſſe malum argento.

mus, ut de Hortensio & Drusi Antonia suprà dictum est: & de Adriano Imperatore retulit Spartianus, equos & canes sic amasse, ut eis sepulchra constitueret. Quod & nunc plerique forsitan facerent; adeò tenerè Meliteas illas catellas diligere videntur, si sperarent se posse pœnas graviores evadere. Quemadmodum sacrificus ille, qui vulgò narratur, cùm id egisset, & vocaretur à suo episcopo, illi adtulisse crumenulam aureis refertam, dicens, Episcopo id à catella sua legatum: adeò sapuisse, ut non ab re digna videretur sacro & cōmuni cum homine sepulchro. Similiter nimius & reprobus est amor, cùm nostra opera impotenter vel insolenter amamus, quemadmodum ferunt Terentium seipsum in mare præcipitantem, quòd essent quædam à se scriptæ comœdiæ submersæ. Non secus atque Aristoteles, cùm nequiret Euripi naturam capere, voluit ab ipso fluvio capi. Et Homerus, cùm non posset ænigma puerorum dissolvere, intabuit. Quod tamen negat esse verum Herodotus, asserens, συμβῆναι, οὐ παρὰ τὸ μὴ γνῶναι τὸ παρὰ τῶν παίδων, ἀλλὰ τῇ

i.e. ad communem locum abi-

μαλα-

μαλακίῃ πλωτῆσαι. In quo etiam melius audit illustris doctor noster Ioannes ab Imola, quem nequaquam talia ulla fecisse accepimus, cùm ejus scripta perijssent propter incendium. quod ipse alicubi testatur. Tametsi, ut adfirmat Stagirita ipse, magis unusquisque proprium amat opus, quã ipse ab opere amaretur, si animæ particeps esset. Maximè tamen Poëtæ sua diligunt supra modum, & perinde atque filios, poëmata. Et sicut ait D. Ambrosius, scriptorem etiam indecori sermones sui palpant, sicut filij etiam deformes delectant. Quare Ausonius ad Gregorium filium de ecloga sua ita scribit: Commendo tibi errorem meum. Nævos nostros & cicatrices amamus, nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus ut amentur: & ita impense decipitur humanum genus gloriam quærens ex literis, celebremque apud homines ipsos existimationem, quando & tantum abest ut id adsequatur, ut sæpe ob eam rem quoque deprimatur & vilior fiat deprehensus in errore maximo, vel visus. Dei credendum judicio, irati ob perversum tantæ rei usum,

isse, non quod nesciret quæ à pueris erãt proposita, sed ex morbo.

In l. fi. co. 6. de hæred. instit. §.

usum; quæ maximè eo tendere debet omnino, ut nos & alios pro virili instruentes, quod Picus nepos docet, ipsius tantùm Dei voluntati serviamus. Sed quod fatendum esse Sidonius scribit, talibus studiis anterior ætas justè vacabat, seu, quod est verius, occupabatur: vel inquam juxta institutum Fortii Ringelbergii, quo magis ab illicitis adfectibus abduceretur, modò tempus est seria legi, seria scribi: deq; perpetua vita potius, quàm memoria cogitare, nimiumq; meminisse: post mortẽ non opuscula, sed opera pensanda; cùm hominis officium sit, perennem potiùs vitam quàm perennem memoriam quærere, non scribendo aut pugnando, vel philosophando, sed piè, sanctè religioseque vivendo, ut inquit eleganter Sulpitius. Denique notandum, quod tradidit S. Thomas, proximum, quantum ad salutem animę, magis diligendum, quàm corpus proprium. & inde videtur, nedum pro vita animæ proximi vitam corporis nostri exponendam, sed etiam pro periculo animæ proximi periculum corporis nostri subeundum. In quo erit exemplũ
Pau-

PaulinusNolanæ urbis Episcop⁹.hic, ut refert Paulus Diaconus, postquàm quicquid habere potuit, in captivorum redemptionem expendit, novissimè, cum nihil aliud nisi ipse sibi solummodo superesset, pro ejusdem viduæ filio maternas non valens ferre piis visceribus lacrymas, cum eadem ad Aphricam proficiscens, sese barbaro viro vice vicaria tradidit in servitium. Unde non est verum, quod imprudenter scripsit doctor noster Angelus Ubaldinus, Christum, qui voluit pati pro nobis, solum repertum esse, qui perverterit ordinem charitatis. Hic enim maximè & excellenter illum servavit, & nos docuit, quemadmodum facere debemus. Sicuti etiam scriptum est à B.Ioanne, In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Sed & bona alterius, cujus liberalitate eis utimur, tenemur etiam præferre, si necesse sit, nostris, ut jure civili cautum est. Atque non (quod vulgus censet, & habet versiculus antiquo Catoni tributus) ita nos adfici erga nos ipsos oportet, ut neminem melio-

In l. G. §. ipsum. de bo. quæ.C.

L. si ut certò. §. quod verò. commod. ff.

meliorem vel probiorem nobis putemus aut profiteamur, neq; culpemus nos ipsos. Sed quod tu latè alibi adnotasti, unusquisque & se minimum omnium bonorum, & peccatorum maximum arbitrari ac profiteri ingenuè debet, nec vereri conscientiam ex hoc lædi suam, etiam si virtutis totius numeros maximè impleat, & possit dicere cum Apostolo, quòd nihil sibi conscius sit: quoniam, docente Christo, nihilominus servus inutilis est: &, teste Ecclesiaste, nescit adhuc an odio vel amore dignus sit. Nec fortè novit omnes astutias Satanæ, quibus in multis offendere potest etiam rerum peritus: & majus est omne in tali peccatum: & melior esset & minus malus fortè quivis alius, si tot ei essent collatæ gratiæ: Quod in dubio tenemur præsumere: quoniam id securius est, & favorabilius jam elatæ plus nimium suapte natura humana animæ: nec curiosius disputare de secreta Dei voluntate: qui unicuique dat, & non dat, aufert, & retribuit, prout vult. Vnde non solùm judicare nihil mali, dubii, adversus proximum debemus, verum ne quidem suspi-

In l.1. de offic. præ. Aph. C.

ſuſpicari. Qua in re viros maximos probitate decipi video, qui de proximo quodvis, zelo quidem Dei, ſed nō ſecundum ſcientiam, commodum, ut illis videtur, non judicant quidem, ſed ſuſpicantur. Quando & vetus, ſanctus itidem, ut adparet, licet innominatus, autor decem cæcitatum libri, inter eas, ſcilicet conſcientiæ noxias, ſuſpiciones ponit, ſive veras ſive falſas, etiā ſub ſpecie juſti zeli & virtutis exiſtentes: quippe quæ judicii de proximo reprobi, & detractionis adnatæ ſorores ſint.

CAP. VI.

Patria amanda.

PORrò verò, ut tradidit S. Thomas, inter cæteros quoque homines aliquis magis diligendus eſt, etiam ſecundum affectum. Et primò quidem antiquior eſſe debere patria videtur. Et nedum, quod ait Auguſtinus de libero arbitrio tractans, parentis loco haberi ſolita eſt: ſed ea eſt & ſola, quę parentum jure vincat affectum, ut Nectarius ad illum quadam epiſtola ſcripſit. Id quod & noſtri docentes ple-

Gloſ. in c. fortitudo 23. quod 4. Corſet in rep. c. grandi. co. 28. de ſup. negl. prælat.

Marss. conf 11. Bust. in defen. mó. pietat. tract. 2. per. 7. m.

plerunque adnotarunt, & à jusjurando facto generaliter ab aliquo, quòd defendat aliquē adversus omnes homines, intelligi exceptam patriam, & quidem, si necesse fuerit, adversus patrem & ad mortem, ut à nostris expressum est. Et notatum, excellentem locum gloriç in cœlo dari pro Repub. laborantibus & morientibus. Et Flaccus cecinit, Dulce & decorum est pro patria mori. Contrà verò, ut Philomusus inquit, ignotus moritur sibi qui nō consilio bono tutatur patriam suam. Aitque D. Augusti. ad Nectarium, Iam senio frigescentibus membris, fervere animū tuum patriæ charitate nec miror, sed laudo: teq; non tantùm tenere memoriter, verùm etiā vita ac moribus demonstrare, quòd nullius sit patriæ consulendi modus aut finis bonis, nō invitus, imò etiam libens accipio. De hac Cicero etiam in libris De Finibus inquit: Mundum censent regi numine Deorum, eumq; esse quasi communem urbem & civitatem hominum ac deorum, & unum quemque nostrùm hujus mundi esse partem. Ex quo illud natura consequitur, ut communem utilitatem no-

stræ

ſtræ anteponamus. Ut enim leges omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt, ſic vir bonus & ſapiens, & legibus parens & civilis officii non ignarus, utilitati hominũ plus quàm unius alicujus aut ſuæ conſulit. Nec magis vituperandus eſt proditor patriæ, quàm communis utilitatis aut ſalutis deſertor, propter ſuam utilitatem, aut ſalutem. Ex quo fit, ut laudandus ſit is, qui mortem oppetat pro Repu. Quòd doceat chariorem nobis eſſe patriã, quàm noſmetipſos, id eſt, vitam quidem iſtam corporalem. Ille etiam in oratione, quam habuit pro P. Sextio, & alia poſt reditũ de exilio habita, Amemus patriam, inquit. Dii immortales, dici vix poteſt, quid charitatis, quid voluptatis habet. Cæterùm in hac patria, eaque multiplici, ut tu alibi docuiſti, magiſtratus & ſimiles ejus curatores varios, prout ordo eorum ſe habet, præcipuè amandos hic intelligemus, ne ſimus prolixiores. Reip. lib. 4.

CAP. VII.

Amandi parentes.

DEinde diligere parentes oportet unumquemque, ſicuti vult à filiis ſuis diligi. Quod ait Iſocrates ad Demonicum: τοιοῦτος γίνου περὶ τοὺς γονεῖς, οἵους ἂν εὔξαιο περὶ σεαυτὸν γενέσθαι τοὺς σεαυτοῦ παῖδας. Nam etiam tales quiſpiam habebit filios, qualis ipſe filius fuit, teſte Chryſoſtomo in Matthæum: Verè, ait, quicunque ſubditus eſt Deo & parentibus ſuis, tales filios generat, Deo præſtante, à quibus refrigeretur. Quoniam qui honorat patrem, honorabitur à filiis ſuis: qui autē contumaces exiſtunt aut in Deum aut in parentes, generantes non refrigercia ſibi generant, ſed dolores, ut à filiis ſuis recipiant quod fecerunt in parentibus. Ac, ut Plato ſcripſit, lex juſtitiæ ſpeculatrix eſt atque vindex omnium, ita ut idem neceſſariò patiatur, qui aliquid patravit: ut ſi quis morti patrem vel matrem tradidit, ipſe poſtea certis temporibus violenter à filiis occidatur. Quanquam in hoc magna, ut Tullius ait, vis eſt humanitatis: multum valet communio

i. e. talis eſto circa parentes, quales eſſe optares circa te liberos tuos.

ſan-

ſanguinis: reclamitat malis ſuſpicionibus ipſa natura. Portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquē humana ſpecie & figura, qui tantùm immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit, eos indignè luce privarit: quando etiam feras inter ſeſe partus atque educatio & natura ipſa conciliat. Vt neque fides adhibenda videatur illis qui dicunt, adultos in utero leænę catulos laniatis ipſius matris viſceribus naſci: quoniam conſtat generatis ad generantia naturalem quendam amorem ineſſe, ut per eum ſpecies in rerum natura conſervetur, uti ſcripſit Philoſtratus. Nec ſanè belluas ullas proprias matres devoraſſe unquam auditum aut lectum, niſi fortè tam peremptas aliâs, vel mortuas. Quod neque conſtat. Perimere autem matrem una tantùm vipera memoratur, vindictæ paternæ, neſcio quo naturæ inſtinctu, cauſa. Tametſi hoc quoq; falſum aſſerit Tyaneus: quòd neque natura patitur, neque comprobat experientia. Cujus tamen exemplo Oreſtes Alcinousq; narrantur haud dubiè proprias interemiſſe matres. Nul-

loque exemplo pessimus omniũ parricida etiam legitur Nero. Quale facinus adeò contra naturam videtur, ut jam tales secundum Alberici nostri notata, non præsumantur liberi: quare etiam ut alieni communi cum aliis pœna plectuntur, quod & pater tuus testatur. Inde etiã est Salomonis violentum judicium, & simile Carolo Magno tributum: ut retulit Puteus noster. Et aliud ab innominato autore tractatus blasphemiæ relatũ. Et quod Cicero memorat pro Roscio Amerino, Lucium Cælium, quendã Terracinensem, hominem non obscurum, cùm cœnatus cubitum in idem conclave cũ duobus adolescentibus ivisset, inventum esse manè jugulatum: & cùm neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id ætatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: ipsos de parricidio primùm delatos, tandem absolutos esse, quòd filii essent: occiso patre haud dubie dormientes inventi. Sanè suspiciosum, neutrum non sensisse, & ausum quenquàm se in id conclave committere, eo potissimùm

In l. eum qui. de episco. & cle. C.

Collecta. c. 42.

Horribili 7.

ſimùm tempore, cùm ibidem eſſent duo adoleſcentes filii, qui & ſentire & defendere facilè poſſent. Erat autem porrò nemo, in quē ea ſuſpicio conveniret: tamen cùm planum judicibus eſſet factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſſe, judicio abſoluti, ut dictum eſt, adoleſcentes, & ſuſpicione omni liberati ſunt. nemo enim putabat quenquam eſſe, qui cùm omnia divina & humana jura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſet: propterea quòd qui tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſint, ut de Oreſte à Poëtis narratum eſt. Nimirum & jure à noſtris eruditum eſt generaliter, duobus ſolis ſimul repertis, altero trucidato, altero vivo, contra quem nō eſt præcedentis vitæ mala ſuſpicio, eum penitus abſolvendū. Licet alii torquendos dixerunt, pluribus inventis in una domo vivis, & uno necato. Quod & factum eſt olim de libertis quidem Aphranii Dextri conſulis, incertum ſua, an ſuorum manu, ſcelere, an obſequio perempti. Quos Plinius Cæcilius poſt quæſtionem

Fab. in §. jus autē gentium. colum. 2. ad fi. de iu. natu. Inſt. Angel. tract. de malef. verbo, fama pu. q. 20.

nem ſupplicio liberandos, alius in inſulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. Qui tandem æquitate poſtulationis Plinii victus, omiſſa ſententia ſua, acceſſit releganti, veritus ſcilicet ne ſi dividerentur ſententiæ, quod alioqui fore videbatur, ea, quę abſolvēdos eſſe cenſebat, numero prævaleret. Etenim longè plures in ea una, quàm in duabus reliquis erant. Tum illi quoque, qui autoritate ejus trahebātur, tranſeunte illo, deſtituti, reliquerunt ſententiam ab ipſo autore deſertam, ſecutique ſunt quaſi transfugam, quem ducem ſequebantur. Sicque ex tribus ſententiis duæ factæ. Tenuitque ex duabus altera, tertia expulſa. Quæ cùm ambas ſuperare non poſſet, elegit ab utra vinceretur. Quæ etiam ex eo confirmari poſſe videtur, quod pater tuus notavit, judicatum hîc per Præſidem, & confirmatum Toloſæ toto adunato Senatu, quòd licet damnari nequeat planè aliquis, crimine illi impacto, non probato: tamen, ſi ſuperſint tales in ipſum præſumptiones, quæ reddant ſuſpectum de eo crimine, ſcilicet non levi; nec ſe libe-

liberet illis: poteſt prohiberi loco, in quo ſcandalo eſt multis. Et tum quidem, cùm tales ſuſpecti ſunt, torquendos, non autem ſi alioquin omnino ſuſpecti nō ſunt, cenſuit Conſtantinus Scholiaſtes Conſtitutionum noviſſimarum Principis. Quod ſi fugiant & requirantur, jure de requirendis, & ſtylo illo trinundinæ peremptoriæ citationis, bonis adnotatis, exilio damnari poſſunt: juxta Vlpiani caput, habens: Sæpius monitos per contumaciam abſentes relegari poſſe, ubi aliquid gravius non fuiſſet irrogandū præſentibus. Quod intelligo vel ex genere criminis probati, vel ex cujuſcunque criminis probationibus non ſufficientibus ad aliud, quàm ad relegationem, juxta prædicta. Alioquin ſanè non eſſe abſentes puniendos conſtat, vel puniri oportere ſecundum quod ipſe alibi docuiſti. Verùm ad rem. Sic ſe res habet, Magnam vim, magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionem paternus maternusque ſanguis. Ex quo ſi qua macula concepta eſt, non modò lavari non poteſt, verum uſque eò permanat ad animum, ut

Ar. 163.

L. abſentem, de pœ. ff.

In inſcriptionē, de Iuſtinianeo Codice confir. verbo, triumphator.

ſumma amentia conſequatur, læſa videlicet excruciante conſcientia. Quæ quidem eſt, quę punit homines, cum ſe malè operatos fuiſſe recogitant: uti ſe habet ſententia Euripidis atque Tyanei, eandem quoque furias oppoſuiſſe Oreſti matricidæ. Nec illa Quintiliano ſeniori videtur vana quorundam perſuaſio, qui credunt, non extrinſecus eas furias venire, quibus agitari eos, qui hujuſmodi ſcelus aliquod perpetraſſent, veteres tradiderunt, nec ullius deorum impulſu illam mortalibus incidiſſe dementiam, ſed intra nos conſcientiam eſſe, quæ torqueat animum & urat. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæq; furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant. Hæc magnitudo maleficii facit, ut niſi penè manifeſtum parricidium proferatur, credibile non ſit: niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitiis vita inquinata, niſi ſumptus effuſi cum probro atque dedecore, niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. Accedat huc oportet odium parentis animadverſionis paternæ metus,

metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportunè captus ad eam rem. Penè dicam respersas manus sanguine paterno: judices viderint oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri sunt. Quare hoc quò minus est credibile nisi ostendatur, eo magis est si convincitur, inquit Cicero, vindicandum. Ideo, quamvis Solon tale crimen nõ credens futurum apud Athenienses, nullam illius pœnam posuerit: Romani tamen, cum se ortos à Romulo meminissent parricidio fundante imperium, unde id committi etiam majus posse, vidissent, quod & admisit Lucius Ostius post Annibalis bellum, primus patrẽ occidens, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt. Vt, quos natura ipsa retinere in officio nõ posset, magnitudine pœnæ maleficio submoverentur. Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici. Quam pœnam primus memoratur passus P. Malleolus. O singularem sapientiam! inquit Tullius. nónne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui re-

pente cælum, ſolem, aquam terrámque ademerunt? ut, qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quia tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cætera quæ violata ſunt, expiari putatum eſt. Denique nihil tam utile neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam illis reliquerint. Etenim quid tã eſt commune, quàm ſpiritus vivis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus ejectis? Ita vivunt dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquàm abluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui requieſcant. In hac re quoq; inter ſuas leges Plato, canit hoc modo: qui parentem interemerit, ſi parens antequam mortem obiret, ſponte interfectorem ſuum à cæde liberavit, ſicut qui ſponte cædem commiſerunt, purgatus, mundus ſit. Sin vero

vero non liberavit, multis legibus reus sit. Nam ultimis suppliciis cædis, impietatis, sacrilegii, subjectus erit, qui sacrilegio genitoris animam abstulit. Quare si possibile esset aliquem sæpius mori, justissimum esset sæpius parricidam interfici. Certè etiam, ut Valerius Maximus inquit, Diligere parentes, prima naturæ lex est, &, sicut Apostolus dixit, primum mandatum in promissione. Et commendabilis quidem pietas, quæ mansuetis præstatur parentibus: sed laudabilior, quæ horridiori favet parenti, quæ ad eum diligendum præter naturalem amorem nullo indulgentiæ blandimento invitata est. Cæterum, nulla acerbitate fortunæ, nullis sordibus pretium charæ pietatis evilescere debet: imo magis emineat oportet, quo magis opus est parentibus. Quibus etiam mortuis reverentiam exhibendam leges nostrę dicunt. Idque ad generos nurusq; pertinet: quæ, ut Accursius scripsit, cum viro & soceris una persona sunt. Ideo Raguel monebat Saram filiam suam uxorem junioris Tobiæ, ut honoraret soceros suos, Et Origenes scripsit, (L. apud. § adversus de do. except. ff. in l. imò. de usu & hab. ff.)

l. quia Sol. matrim. ff. quod nurus diligere debent soceros suos: quippe qui, ut Pomponius noster inquit, parentum locum obtinēt. Et quidem, Origine teste, sæpe generi vel nurus, filiis synceriores reperiuntur circa soceros vel socrus suas. Tametsi natura, quod ait Pinus, comparatum est, ut socrus nurui, & nurus socrui sæpe sibi infensæ esse consueverint. Præcipuè vero socrus nurui videtur infesta. Vnde Laches ille Terentianus exclamat: Prô Deûm atq; hominum fidem, quod hoc genus est? quæ hæc conjuratio? ut omnes mulieres æquè studeant, nolintque omnia? neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias? itaq; adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus. Viris esse advorsás, æquè studium est, similis pertinacia est: in eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam. Ideo Sostratam uxorem accusans malæ tractationis Philomelæ nurus, & ipsam jam alloquens idem Laches etiam inquit: Tuos esse illi mores morbum, magis quàm ullam aliam rem arbitror, & merito adeo. Nam vestrarum nulla est, quin gnatum velit ducere

uxorem

uxorem, & quæ vobis placita conditio est, datur. Vbi duxêre, impulsu vestro easdem exigunt. Sed & novercam ob patris reverentiam & amorem, tanquam matrem amari debere, Propertii etiam versiculus nos admonet sic habens:

Conjugium, pueri, laudate, & ferte paternum.

CAP. VIII.

Amandi liberi.

PORRO filii diligendi sunt, ipsa etiã monente natura, ac docentibus propeq; clamantibus ipsis belluis. natura fit, inquit, Cicero, ut liberi à parentibus amentur. Neque vero hæc inter se congruere possent, ut natura & procreari vellet, & diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturæ inspici potest: quarum in fœtu & in educatione laborem cũ cernimus, naturæ ipsius vocem videmur audire. Hoc enim elephanti etiam clamãt, à natura ipsis talem benevolentiam datam. Neque enim id, sicut alia quædam, ab hominibus didicêre. Hi namque cum hominibus non

non vixere, ſed natura ducuntur, ut ament, quod pepererunt, & provideant ei ſolicitè. Vnde & flumina tranantes, ſuper dentium eminentias pullos geſtant, promuſcide tanquam vinculo ipſos complectentes. Vrſi etiam, licet feritate cæteras belluas ſuperent, pro catulis tamen omnia faciunt. Chinalopiam memorat Orus, animal ſic dictum, quod ſi inſequatur venator, & unà pullos ejus, ſponte venatoris præda fit, ſi modo poſſit ſic faciens ſervare pullos. Pantheræ fœminæ cùm propter caliditatem matres fieri gaudeant, & tunc dominari maribus velint, ac domui præſidere, mares tamen patienter omnia ſuſtinent propter catulorum amorē. Tigris, etſi crudelis inſigniter, tamen ablatis catulis adeo mœſtus fit, ut quandoque etiam moriatur. Viſa eſt Phoca à piſcatoribus comprehenſa mortuum fætum ſuum ita deplorare, ut triduo à cibis abſtinuerit, quamvis omnium belluarum voraciſſima ſit. Balæna fugientes majorem belluā filios faucibus ſuis abſcondit. Vipera nequiſſimum genus beſtiæ dictum, tamen quos peperit lingua lambit, & expo-

expolit: ut jam satis appareat non solum quod Euripides habet, ἅπασι ἀνθρώποισιν τὴν ψυχὴν τέκνα. Verum etiã, quod inquit Damis Assyrius, & Tyaneus probat, ἅπασι ζώοισιν τὴν ψυχὴν τέκνα ideoque, ut incredibile est mortem oblatam esse patri à filio sine plurimis ac maximis causis, sic hoc verisimile non est, odio esse parenti filium sine causis multis & magnis & necessariis. Nihil enim dulcius hominum generi à natura datum est, quàm sui cuique liberi, ut inquit Tullius. Vnde beneficiarius ex promissione indefinita & quantumvis generali, non intelligitur se obligasse, nec tenetur contra filiũ suscipere domini defensionem. Quod si filios odit aliquis, & malus est pater, nunquam etiam bonus gubernator populi esse potest: nec is, qui charissima & familiarissima corpora nutrit, & fovet, unquam alienos plus existimabit, ut dixit Aeschines contra Demosthenem. At ut spectatæ honestatis & probitatis adolescens non alium patri suo honoribus præferet: ita nec pater neglecto filio alium paterno affectu juvenem complexurus est: maximè vero ex se genito

Constit, admodũ hominibus alteram animam filios esse.

Omnibus animantib. fœtus suos pro anima esse.

Marsil. in l. inanditum. de sicar. ff.

nito non gravatim tribuet, ut ſit & vita honeſtiſſimus, & dignitate ampliſſimus, appareatq́; omnibus ſua opera quàm optimè educatus atque exornatus. Porro qui tali erga filium ſuum non utitur affectu, ille patris oculos videtur non habere, ut inquit Lucianus. Hujus antem amoris magnam vim eſſe in matribus, B. Bernardus ait. Nimirum, quoniam magno conſtitit illis, & certior eſt partus. Patrum autem non adhuc aliquis filium ſuum omnino certò ſcivit, ſicut & contrà, ut Homerus ait:

οὐ γάρ πω τὶς ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Nec enim quiſquam ſuum patrem ipſe novit.

Scribit etiam Eraſmus, avias ſolere indulgentius habere nepotes. Vnde & Satyricus ita inquit:

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
NuncLicini in campos, nuncCraſſi mittit in ædes. Hunc

Hunc optent generũ rex & regina: puella
Hunc rapiant. Quicquid calcaverit hic, rosa fiat.

Nempe aviæ à nepotibus magis vident prorogari genus suum. Verum hîc quoque ut alibi in universum, nimietas amoris ipsum amorem extrudens, cavenda est: nam & Plutarchus plerosque patres se vidisse ait, quibus amor nimius, ne amarent, causa extitit. Cæterum & nurus filiarum loco diligendas esse admodum scriptura divina nos admonet, ubi dicit, Abraham patriarcham Rebeccam uxorem filii sui Isaac adeò dilexisse, ut dolorem quem ex morte Saræ uxoris suæ contraxerat, temperaret.

CAP. IX.

Amandus frater.

CHarum pręterea fratrem esse debere non ambigitur, qui in eodem domicilio antè, quàm nasceretur, habitavit. Scilicet eadem substantia progenitus, in ijsdem incunabulis infantiæ tempora peregit, eosdem appellavit parentes, eadem pro se vota excu-

excubuerunt, parem ex majorum ímaginibus gloriam traxit: ut perbelle dixit Valerius Maximus. Et Cyrus apud Xenophontem: Quem turpius eſt non amare, inquit ad filios, quàm fratrem? quem omnium pulchrius eſt anteponere, quam fratrem? eô filii chariſſimi honorate vos invicem, ſi quid etiam tunc mihi gratum facere cura eſt vobis. Vnde etiam Euripides, rem duram, dicit, fratres verbis altercari mutuis, ſi quando lis inciderit aut contentio. Et Catullus, fraternum verè dulce ſodalitium, inquiens, ita etiam deplorat:

Heu mea tu moriens fregiſti commoda frater.
Tecum una totùm eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum unà perierunt gaudia noſtra:
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mẽte fugavi
Hæc ſtudia atque omnes delitias animi.

Magna inquam vis eſt hujus amoris, adeo ut facilè reparetur, ſi quando fuerit læſus. Quemadmodum his Seneca docet,

Redire

Redire pietas, unde summota est, solet.
Reparatque vires, justus amissas amor.
Nulla vis major pietate vera est.
Iurgia externis inimica durant.
Quos verus amor tenuit, tenebit.
Manibusque junctis, ducit ad pacem
Pietas negantes.

Et quidem olim, etsi nonnullis ex cupiditate fratribus oriretur, ut nunc, tumultus, & è domorum opulentia, ut Euripides attestatur: autor est tamen Trogus, tanto moderatius fratres inter se regna dividere solitos, quanto nunc exigua partiuntur patrimonia. Nam cum Darius Persarum rex, relictis multis filiis & in regno & ante regnum susceptis, decessisset, ex his Arthemenes natu maximus, ætatis privilegio, regnum sibi vendicaret, (quod jus & ordo nascendi & natura ipsa gentibus dedit) porro Xerxes controversiam non de ordine, sed de nascendi felicitate referret, Arthemenem quidem primum Dario, sed privato provenisse, privatæ matri, avoque materno: se vero & matre regina natum, & patrem non nisi regem vidisse, avum quoque maternum Cyrum regem habuisse, non hære-

hæredem, sed conditorem tanti regni: privato natos privatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, vindicare posse; se vero esse primum, quem in regnum rex pater sustulerit. Quod quidem certamen concordi animo ad patruum Anapharnem veluti ad domesticum judicem detulerunt: qui domi cognita causa, Xerxem, ut par erat, & eo, quo tamen nos non utimur, jure, præposuit. Adeoque lenis fraterna contentio fuit, ut nec victor insultaverit, nec victus indoluerit, ipsoque litis tempore invicem munera miserint, & jocunda quoque inter se, non solum credula convivia, habuerint. Iudiciũ quoque ipsum sine arbitris, sine convitio fuit. Prodit Cornelius Nepos, se audivisse Pomponium Atticum verè gloriantem in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cum septem & sexaginta esset, se nunquam cum matre in gratiam redijsse, & nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam propè ætate æqualem habebat. Ad hunc item scribens M. Tullius, ut ostenderet singularẽ fraternam charitatem, ita dixit, Posteà quàm

Ant. corset. de pot. ac excess. reg. q. 26 Zasius in feu. de success. c. 3. contrà Pet. Iacob. in praxi arbore de succ. regni Fran. col. 4. & cõment. consuetud. Paris. tit. 1. §. 8. gl. 1. q. 11. in fin.

quàm à fratre discessi, neminem pluris, quàm te, facio. Quem etiam locum citans Paraphrastes Hesiodi, esse certè ait à natura & divinitus homini inspiratum, nullam esse sanctiorem conjunctionem, quàm fraternam. unde inquit ille: μηδὲ κασιγνήτῳ ἶσον ποιεῖσθαι ἑταῖρον. Insuper Egidius Iacobus tractatu quodam de reprobatione testium, fraternitatem ait rem naturalem esse, & adeo, propterea scilicet, stabilem, quod nullo modo potest separari: & prædulcem inter fratres amicitiam, qua vel maximè sancti & sacri Deo tanguntur. Quare, uti scripsit B. Gregorius, Scholastica soror sancti Benedicti, sanctimonialis, ut sanctū Benedictum fratrem nocte una retineret, & sanctissimis suavissimisque colloquiis satiaretur, renuente fratre id facere, vel quod tempus serenum esset per quod abire liceret, oratione pluviam tempestatemque impetravit. Sicque factum est, ut totam noctem privigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Ac nedum prædulcis est, verum etiam valde efficax & fortis, ut mors, ut sacra habent.

i.e. Neq; fratri amicitia æqualem facias sodalem. col. antep.

bent. nempe omnia humana vincens dilectio, fraterna inquam. Vnde & in vulgari est Italorum adagio illud: Duo Fradello, duo Castello. Et in sacris quoque: Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas fortis. Itaque meritissimo dicitur in penultimo cantico המעלות; Ecce quàm bonum, & quàm dulce habitare fratres etiam simul, &c.

CAP. X.

Amandi cognati.

CAeteri quoque amandi cognati. Res familiaris sua quenq; delectat. Sanguinis cõvictio & benevolentia devincit homines charitate, inquit Cicero, & Aristoteles: Sunt etiã, ait, & cæteris in cosanguineis ea, quę ad amicitiam attinent, ut rationum comparatio flagitat. B. Ambros. Cõmunia omnia amicorũ esse debere, si quis de gentilibus dixit, quanto magis debent esse communia cognatorum? Omnino vero, qui simul in una vivimus domo, præcipuè chari invicẽ & monitores esse debemus, ait Xenophon.

nophon. Seneca quoq; in Agamemnone, nihil in propinquos temerè constitui decet, inquit, igitur hi etiam potissimum amandi sunt, & pluris faciendi prout propinquiores. Ideoq; in postulando præferri propinquos ei à quo beneficium acceptum est, & clientem non teneri juvare patronum contra propinquum, traditum est. Horum tamen perversus quidam amor à multis seculis invaluit, ut nihil aliud, quàm patrimonia invicem aucupentur. Quomodo scripsit ad ecclesiam Timotheus: Cognati non te, sed patrimonia tua diligunt, imo cupiditate rerum te execrantur. Nam dum tua impatienter sitiunt, te oderunt; præsentiamque tuam quasi æmulam sibi & adversariam judicantes obicem atq; obstaculum putant cupiditatis suæ esse, quod vivis. Quod est magnopere cavendum.

Pan. in c. cùm sacer de Post.

CAP. XI.

Amandi adfines.

AMandi & adfines accepti, ut Valerius ait. Et Petrus Cara quadam ora-

oratione ad Carolum ejus nominis octavum Francorum Regem, Est adfinitatis, inquit, nomen dulce, atque suave, blandum atque fidum, sed diuturnius jucundiusque amicitiæ viribus perornatum, decoreque illustratum. Idque admirandum præsertim in fœminis, in quibus præcipue nihil est tam pronum ad simultates, quàm æmulatio: quæ maxime nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, ardescit invidia, cujus finis est odium. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in una domo pariq; fortuna nullum certamen, nulla contentio sit, suspiciant ad invicem, cedant, idemque utrique propositum, idem tenor vitæ, nihilque ex quo sentias duas esse, ut de sorore & uxore Trajani Cæsaris scripsit C. Plinius. Quod magis convenit Christianis.

CAP. XII.

Amandi benefactores.

TUm cæteris paribus alios etiam extrarios, qui benefaciant nobis,

nobis, chariores habere debemus: Id quod & lex Canonica docet, expressum habens, in officiis charitatis primo loco illis nos teneri obnoxios, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. Vnde sancta inter cæteras speciales preces Ecclesia nominatim orat pro benefactoribus nostris. c.7.!C.de testam.

CAP. XIII.

Amandi vicini.

ET viciniam quis ignorat in propinqua parte amicitiæ esse, & antiquiorem nonnunquam etiam fraterna? quippe sunt, ut inquit Cicero, officia, quæ aliis magis, quàm aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in frugibus percipiendis (nempe à quo etiam citius adjuvaberis) quàm aut fratrem aut familiarem. Quanquam si lis in judicio sit, propinquum potius & amicum, quàm vicinum defenderis. Itaque canit Hesiodus,

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
Ει γάρ τοι καὶ χρῆμα ἐγχώριον ἄλλο γίνηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.

Illum vero potissimum ad convivium voca, qui prope te habitat.

Si enim tibi negotium aliquod domesticum contingat,
Accurrunt discincti vicini, cinguntur autem cognati.

CAP. XIV.

Amandi amici.

CVm omnes conjuncti natura simus & amici invicem, talesque esse debeamus generaliter, tum præcipua quadam ac necessaria societate, amore, amicitia, & charitate alligati mutuo simus in his prope, quæ diximus, etiam inviti; unde cum speciali alioquin benevolentia & cum externis quibus visum est nos ipsi cōjungimus: qualem putas convenire amorem esse amicorum? Vir, inquit sacer Adagiographus, amicabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater. Itaque celerius sine reprehensione propinquum avertere, quam amicum licitum est, ut ait Valerius. Nam etiam, inquit Cicero, hoc præstat amicitia propinquitate, quod ex propinquitate benevolontia tolli potest, ex amicitia autem non potest.

Sub-

Sublata enim benevolentia, amicitię nomen tollitur, propinquitatis manet. Quæ quidem nihili facienda est nuda, nisi adsit amicitia. Vnde per se vel sanctius nomen amici videtur, quod animus & propositū facit, propinquitatem casus conditioque nascendi. Vnde veri socii, quorum communio sacra res est, & quædam fraternitas propositorum animorum, sicuti senior Quintilianus scripsit. Ex quo jus fraternitatis quodammodo in se habere societatem, Vlpianus quoque noster dixit. Hujus laus, utilitas, & necessitas, ex commemoratione, demonstratione & collatione generalis illius magis apparet. Ideo non ineptum ducatur, si multa de illa vicissim unaque dixero. Hortatur nos Lælius Tullii, ut hanc omnibus rebus humanis anteponamus, nihil esse, inquiens tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas. Nam & secundas res splendidiores facit amicitia, & adversas, partiens communicansque, leviores. Cumque plurimas & maximas commoditates contineat, tum illa nimirum præstat, quod bona spe prælucet

in posterum: nec debilitari animos aut cadere patitur; Verum etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius dictu est, mortui vivunt: itaque non aqua, non igni, ut ajunt, magis utimur, quàm amicitia, solemque è mundo tollere videntur, qui amicitiam é vita tollunt: hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut cum hæc adsint, beata vita sit, & sine his esse non possit. Charitate enim benevolentiaque sublata, omnis est é vita sublata jucunditas. Quin Empedocles dixit, statum rerum omnium, quę in natura totoque mundo constarent, quæque moverentur, contrahere amicitiam, dissipareq; discordiam. Atq; hocquidem omnes mortales intelligere possunt, & re ipsâ probare, amore mundi machinam contineri, simul & continue renovari, nexum & commercium constare cum rebus, quæ pulcherrimæ sunt & optimæ. Voluptatum & per-

perfectionum, amorem medium esse, amorem finem, amorem efficientem causam & exemplarem, Varenius notat. Civitates etiam planum est amicitia contineri: & legumlatores circa hanc magis, quam circa justitiam student. Concordia namque civilis amicitia, & simile quid amicitię esse videtur, sicut & dicitur: nam circa commoda, & ea, quæ pertinent ad vitam, versatur. Hanc autem maxime adfectant, seditionem autem ut inimicam maxime expellunt legum positores, inquit Aristoteles. Plato quoque in primo Alcibiadis colloquio, Civitas, inquit, melius instituitur, quando amicitia est inter cives, odia vero & seditiones absunt. Amicitiam dico consensum, qui in hoc consistit, quod quisque suum officium exequatur. Et alibi: Nullum, inquit, perniciosius civitatis malum, quam quod eam dividit, & ex ea una plures facit: nec melius quicquam eo, quod ipsam vincit simul, & unam efficit. Rursum alibi: Duo, inquit, sunt, quæ à pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui sit præclare victurus, in rebus turpibus verecundia, honesti

studium. Hæc autem nobis neque genus, neque divitiæ, neque honores præstare citius ac melius quàm amor possunt: neque absque his aut civitas unquam, aut privatus præclarum aliquid & magnificum perficere poterit. Ex quibus, & similibus, præcipue quæ in Toxari refert Lucianus, maximeque de eo, qui injuria adfectus erat, paupere, amicorum ope jam divite facto, continuo vindicante se, & potiente optato, longe melius, quam apud Polydorum Vrbinatem, claret intelligẽtia proverbii illius: Vbi amici, ibidem opes. Amicitia enim per se dives est, & præpotens. Ea vero maxime utilis ac necessaria est viris quibusque maximis ac principibus. Qui ut multa possident: ita facere multum etiam sumptum erga Deum & homines eos opus est: multis item impediri & tribulari. Quamobrẽ maxime oportet amicos habere, quos participes facientes totius mali cum bonis, ipsi melius habeant, sic tanquam nihil habentes & omnia possidentes, quemadmodum dicit Apostolus, & quodammodo fecit Xenophonticus ille Pheraulas: Qui cum vide-

videret comedere, & bibere, & dormire, cætera quoq; facere jucundius, pauperem alium, Sacam nomine, habendi multa cupidus, quibus uti posset, ex conventione dominum fecit suarum etiam futurarum divitiarum, id tantum sibi reservans, ut se veluti hospitem, & tenuius quam hospitem aleret. Et hi quidem ita magna cum amicitia & voluptate vixerunt. Attamen Baldi nostri sententia est, nulla re egere principes magis, quam amicis, qui eis verum dicant. Dioque Platonicus ad Dionysium tyrannum testatur, principes non inopia pecuniarum perire consuesse, sed potius amicorum. Et valde probari ait mentem habentibus Poëticum illud: Non auri fulgor, in misera mortalium vita rarissimi, non adamas, non argenteæ mensæ, quæ apud homines habentur in pretio, ita oculis coruscant, nec lati fundi, aut pinguia culta, tantum valent ad vitam, quantum mens virorum bonorum inter se consentientum. Plato ipse, οὔτι ἵππων, inquit, πλῆθος, οὔτε ἄλλης πολεμικῆς συμμαχίας, οὐδ' αὖ χρυσοῦ, προσγινομένου γένοιτ' ἂν μείζων εἰς τὰ πάντα δύναμις, ἢ φίλων βε-

ζχιόντι καὶ ἦθος ἰχόντων ὑγιές

i.e. neque equorum multitudo, aut bellica subſidia, neque præſentis auri vis tantum valet in cunctis admodum negotiis, quam amici certi & qui ſanis moribus præditi ſunt.

Amico fideli nulla eſt comparatio, & nõ eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitę & immortalitatis, ait Eccleſiaſticus. Rurſum ſcribit Plato ad Dionem Syracuſanũ, neceſſariam eſſe ad res agendas hominum benevolentiam: auſteritatem vero ſolitudinem amicorum parere. Solatium vitæ hujus eſt, ait B. Ambroſius, ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas ſecretum pectoris tui, ut colloces tibi fidentem virũ, qui in proſperis congratuletur tibi, compatiatur in triſtibus, in perſecutionibus adhortetur. Nempe, ſicut monet ſcriptura, ut ſit tibi cõſiliarius unus de mille: meliores ſunt duo, quam unus: & ſi alter ceciderit, ab altero fulcietur: funiculus triplex nõ facile rumpitur, & frater fratrem adjuvans exaltabitur. Magna quippe amicorum potentia, quæ facit hominem excellentem. Cum duo conjuncti

Bal in c. ſuper eo. de teſtib.

cti veniunt, victoria certa est, inquit Alciatus: peritos luctandi usus exercet, ait Seneca. Musicum, qui paria didicit, monet. Opus est & sapienti agitatione virtutum: bonus bono proderit, gaudium illi adferet, fiduciam confirmabit, ex conspectu mutuæ tranquillitatis crescet utriusque lætitia: ajuntque homines plus in alieno negotio valere. Et medicus, inquit Petrarcha, qui suam non potest, alterius ægritudinē curat. Omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparavit, nihil est majus amicitia, nihil uberius, nihil jucundius, ait Epicurus. Id quod & Scythę arbitrantur, ut Lucianus scripsit. Xenophon, Omnium, inquit, possessionum præstantissima, bonus ac verus amicus. Vnde & Scipio apud Lucianum, Divites, ait, in bonis amicis esse putavi, non in auro: nam per quinquaginta quatuor annos, quib⁹ vixi, nihil unquam emi aut vendidi: ex foro quoque nunquam divertissem, nisi quempiam mihi aliquo modo amicū fecissem: & ut mercatoribus pecunias lucrari studium est, ita mihi ut adipiscerer homines omni metallo præstan-

ſtantiores, cura erat. Plutarchus, Amicus eſt magis neceſſarius, quam aqua, aut ignis: & major jactura eſt amici, quam pecuniæ. P. Crinitus in eo carmine cui lemma eſt, De mutua benevolentia,

Felix ille nimis, nec ſuperis minor,
Cui tantum liceat carpere commodi,
Æternumq́ʒ bonum, ſi quod adhuc datur
Sperari melius fide.

Hieron Xenophonticus: Ingens bonum eſſe judico amari, ei qui diligenter ultro bonis adfluere tum à Deo, tum ab hominibus vult, cujus poſſeſſionis tam præclaræ minus habent tyranni, quam alii. Domicius Palladius: Non quicquam melius eſt homini, quam ſemper amari. Tradit Iacobus Magnus in ſophologio, Prudentis patrisfamiliâs eſſe, aliquos intimos & fidos ſibi acquirere amicos. Quemadmodum & Baldus ſcripſit, licere procurare utilitatem propriam ſine dolo, ideoque licere amicitias captare ex quibus dona proveniunt. Quamvis ea ſcilicet, vel ejuſmodi quævis utilitas non ſit, finis habenda in amicitia, ut diximus, Contra vero, præ-

In l. civili ſi quis al. teſt. pro. C.

præcipue cum amare nihil homini difficile ſit, quod ait D. Hieron. nihil inutilius, pejus, & abominabilius, quam odio habere & haberi ſæpe. Ex quo etiam, quantum boni ſit in amicitia, judicari poteſt. Quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti? ut ait Cicero. Nec ab re Plautus, Eſt miſerorum, inquit, ut malevolentes ſint, atq; invideant bonis. Vnde Martialis dixit: Ego eſſe miſerū credo cui placet nemo. Qualem prope ferunt fuiſſe Timonem Athenienſem, quē Cicero & Lucianus deſcribunt μισάνθρωπον. Ad quod pertinet & illud quod Plato in Phædro ſcribit, præſtare ridiculum amicum eſſe, quam gravem & inimicum. Sunt tamen quidam (pro Deum fidem atque hominum) vel nomine tenus Chriſtiani, qui magis ſe filios diaboli oſtendentes, tum bene habent, cum inimicitias, ſimultates, lites habent cum aliquo. Hi inquam filii perditionis ſunt, de quibus B. Ioannes ait: Qui non diligit, non novit Deum. Et Paulus: Et vos habetis lites adinvicem? Non efficiamini in-

anis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Quod ſi invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini. Rurſum vero è diverſo de amantibus & pacificis ille idem Chriſto dilectus diſcipulus teſtificatur, quod ex Deo nati ſunt. Et Chriſtus ipſe in Euangelio uti ſcripſit B. Mat. אשרי משלימים כי בני האלהים וקראו Hujuſmodi fuiſſe Beroaldus a Pino dicitur, nunquam cum ullo odium ſive ſimultatem exercuiſſe. Et à Cornelio nepote ſimiliter dicitur de Pomponio Attico, eum neque in jus de ſua re unquam iviſſe, judicium nullum habuiſſe. Atq; hoc ex omnium ſententia intelligendum eſt, non niſi inter bonos amicitiam eſſe poſſe, atque debere minime amari malos, ſed bonos & probos. Quare Plato ait, nullum majus improbitatis argumentum eſſe alicujus, quam ſi ei deſint amici, fidique homines: neque probitatis, quam ſi adſint. Etenim malorum amicitia quamvis vetus, repelli lege præcipitur. Lactantius Firmianus, Qui bonos diligit, & non odit malos, bonos no diligit, inquit, & ſcil, bonus non eſt, quemadmodū de

i.e. Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur.

l. 3. de malef. C.

de Charilao Lacedæmoniorũ, ut retulit Plutarchus, præfecto, laudantib⁹ illum quibusdam, collega ejus, dixit. Et quomodo probus est Charilaus, cum ne in malos quidem sit acerbus? Idem autor ait, amorem illum validissimum atque sanctissimum merito haberi, quem per virtutem quispiam à civibus & popularibus sibi comparat. Et sane natura quoque ipsa ducimur ad id, ut malos sponte prosequamur odio, bonos vero amemus, etiam laudantes. Nempe veræ virtutis zelus non fit, nisi per summam laudantis benevolentiam & honorem: qui vero sine amore laudant bonos, ii reverentur quidem famam illorum, nõ autem virtutem admirantur, neque imitantur, ut Plutarchus inquit. Sic tamen natura comparatum est, ut eum, quem non ficte laudes, & ames: porro quem ames, laudari te ab eo velis, uti scribit Apulejus. Et Dionysius Arikelus Carthusianus theologus, Amanti, inquit, delectabile est occupari in laude dilecti. Adeo vero virtutem amamus naturâ, & vitium odimus, ut id nobis contingat etiam in illis, de quibus habemus nihil pręter

ter auditum. Nihil eſt enim amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum, quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus, ait Cicero in Lælio. Tum pro M. Marcello: Cum aliquid clementer, manſuete, juſte, recte, moderate, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ naturâ inſolens & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus; quo ſtudio incendimur, non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Quis (inquit) eſt, qui C. Fabritii, M. Curii, non cum charitate aliqua & benevolentia memoriam uſurpet, quos nunquam viderit? Quis autem eſt, qui Tarquinium ſuperbum, qui Spurium & ſimiles non oderit? Idcirco Titus Livius, ob rariſſimam eloquentiæ dotẽ, plurimum memoratur dilectus etiam ab abſentibus. Ad quem etiam acceſſerunt plurimi nobiles, fama virtutis pertracti, tantum ut viderent, ſicuti ſcripſit ad Paulinum B. Hieronymus. C. quoque Plinius nepoti ſuo teſta-

tur,

tur, Gaditanum quendam ab ultimo terrarum orbe venisse, tantum ut videret illum, & abiisse ut vidit. Salomonem etiam, sapientiæ ejus fama, regina Saba invisit. Eum quoque, qui plus est quam Salomon, regem regũ, Dominum dominantium, etsi non viderat, Agabarus Edissæ princeps plurimum diligere visus est, epistola ad eum missa, quam retulit Eusebius. Similiter B. Ignatius illius summi regis & Domini nostri Iesu Christi matrem, in terris adhuc agentem, se plurimum diligere demonstrat: ad B. Ioannem scribens, sibi renuntiatum, eam esse multis ornatam virtutibus: proinde petens, ut sibi concedatur accedere Hierosolymam, quo illam tantam virginem videre possit, & alios sanctos. Quemadmodum & antea Ioachim summus Pontifex de Hierusalem venisse narratur in Bethuliam cũ universis presbyteris suis, ut videret Iudith, rarissimæ videlicet virtutis mulierem. Ex quibus id etiam animadvertere licet, non esse puerilem, ut quidam arbitrantur, & ineptum affectum, neque vanam operam, videndi homines in mundo optimos.

mos. Amicos conciliandi rationem optimam ſemper ex Plutarcho retinebimus virtutem eſſe. In hocque modum apud Xenophontem Socrates docuit, ut permittas alicui deferre te apud illum, quem vis tibi fieri amicum, & dicere, quod admiratus eum, cupis amicus ei effici. Quod tamen prudentiſſime commodiſſimeque, ſi fiat, faciendum eſt. Ait enim Plato: Quicunq; in coparandis amicis ſapit, non prius quenquam eorum laudare debet, quam ipſorum familiaritatē fuerit aſſecutus: futura namque formidat. Plerique enim cum laudari & ſe extolli ſentiunt, faſtu tumeſcunt. Porro volentem fieri amicum efficere convenit, non qui non vult, & commodis amabilibuſque beneficiis, non vi & timore. Vi amicos (inquit Xenophon) neque capies, neque tenebis. Beneficio enim & voluptate fera hæc capitur. Nolentem amicum efficere difficile eſt, difficilius ligatum retinere ut ſervum. Namque, ut Plato ſcripſit, difficile domatur homo, difficilis poſſeſſio hominum eſt. Ad hæc Annæus canit:

Amor timere neminem verus poteſt.

&

& P. Papinius:
Parens odii metus.
Aristoteles in Rhetoricis: Nullus amat, quem metuit. Q. Cicer. Amicorum studia beneficiis & officiis, & venustate, & facilitate, & jucunditate naturæ parta esse oportet. Pravos quidem homunculos nullo modo, nisi eis aliquid præstando, allicies: bonos vero homines & doctos non nisi amicitia mollies, inquit Xenophon. Ac, quemadmodum Claudianus canit,
Non quærit pretium, vitam qui debet amori.
Sed, ut ait Tibullus:
Obsequio sano plurima vincit amor.
Unde Martialis:
Parva dabis charo, sed dulcia dona, sodali.
Isq; negat, beneficiis tantum paratos, amicos esse, inquiens:
Hunc, quem cœna tibi, quem mensa paravit, amicum,
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat & mulos, & sumen, & ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus eris.
Equi-

Equidem dicendus talis magis, quam amicus, animal ad convivia natum, ut est apud Iuvenalem:

Cui nimium dulce est aliena vivere quadra.

De cujusmodi hominibus, qui scilicet utilitatis suæ causa alicui, tanquã amici, cum non sint, adulantur, ait Plautinus Euclio: Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. Et hi appellantur à Paulo nostro levi conjuncti notitia. Nempe talis amicitia levis est, & facile recedit, cessante scilicet causa levissima: cujusmodi Garcia Hispanus censuit esse, inter quos emptio & venditio maxime rerum non pretiosarum agitur: in quibus decentior permutationis compensatio, antiquæ Romanorum amicitiæ, nobilitati, fidei, humanitati, propinqua, est: stabilitatem magis arguens; quæ nullo modo futura videtur, ubi tantum utilitas quæritur.

L. latæ. de ver. & re. sig. ff In l. juris gentium. de pact. ff.

Nam pretio quæsitus amor, cum munere cedit,
Et quantũ durat largitio, durat amicus
Prostat talis amor, mensuram muneris implens.
Non tibi vera fides, ubi munus donat honorem,

Non

Non donum largitur amor, dum pondus amoris
Ponderat, ipse dati merces & copia doni.
Mutua sit nobis dilectio, mutuus adsit
Nexus amicitiæ, quam nec fortuna novercans
Solvat, nec casus agitet, nec gloria frangat.

ut cecinit Anticlaudianus. Neque enim utilitas finis amicitię est, sed sola propter Deum benevolentia ipsa sibi finis esse debet, sicuti dicit B. Hieronymus. In amicis non res quæritur, sed voluntas: quia alterum ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola charitas tribuit. Cicero, Se quisque, inquit, diligit, non ut aliquam à seipso mercedem exigat charitatis suę, sed quod per se sibi quisque charus est. Quod nisi idem in inimicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Est enim is amicus quidem, qui est tanquam alter idem. potissimum autem valet in amicis conciliandis, naturæ ac studiorum similitudo: quemadmodum docet Cicero cum alibi, tum pro A. Cluentio, dicens: Magnam vim habet ad conjungendas amicitias, studiorum ac

naturæ ſimilitudo. Et idem cum ſuo Platone ſcite quidem veteri proverbio ait, ſimile ſimili ſemper hærere, pares cum paribus jucundiſſimè congregari. Sicuti & Melanthius Homericus dixit:

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Ita ſemper deus, ſimilem ad ſimilem deducit.

L. cũ allegas de caſtren. pec. C.

Teſtatur & Gordianus imperator quodam reſcripto, peregrinationis laborem ſimul ſuſceptum, uſum commilitii, & obeundorum munerum conſortium, affectioni fraternæ aliquid addere, quinimo vice mutua chariores invicem reddere fratres. Et de condiſcipulatu amicitiam provenientem, ait Fabius, ad ſenectutem uſque firmiſſime durare, religioſa quadam neceſſitudine imbutam. Neque enim eſſe ſanctius, ſacris iiſdem, quã ſtudiis initiari. Nec ab re C. Plin. ſcripſit, à prima ætate amorem incipientem flagrantiſſimum eſſe. Et refertur à Iulio Capitolino, imperatorem Marcum, cognominatum Philoſophum, condiſcipulos adeo ſemper amaſſe, ut quos non poſſet Principem agens, ob qualitatem vitæ, Reipub. præ-

præponere, teneret locupletatos. Item commodissime & tute eorum benevolentiam ceu arctissimam amplectimur, qui majoribus nostris amicissimi haud dubie fuerunt. Ideo dixit Isocrates, decere filios, ut substantiæ, ita & amicitiæ paternæ hæredes esse. Nam & amicus patris, quodammodo ejus loco est. Quando & omnis amicus quodammodo loco patris habetur, ut quidam nostrorum notavit. Et dicitur in sacris proverbiis: Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiseris. Generaliter autem id primum dispiciendum est, & admodum inquirendum, an digni sint, & quantum digni amicitia nostra, quos nobis amicos facere volumus: neque id committendum, ut statim vel postea quam erunt admissi, passim rejiciamus. Et primum quidẽ, ut monet Xenophon, in amicis investigabimus, qui ventri, potui, luxuriæ, somno, atque inertiæ dominantur. Qui enim ab istis detinentur, nec sibi ipsi, nec amicis possunt prodesse. Nec dubium, esse quasdam amicorum existimationes, sicut & servorũ. Servorum enim alius duabus minis existi-

In parænesi ad Demonic.

Lucas pen. in l. 1. de cast. pecul. C.

existimatur dignus, alius vero nec media mina, alius vero etiam quinq; alius decem. Qua in re, pestis amicitiæ maxima, adulatio quamplurimũ cavenda est, etsi eam internoscere admodum difficile sit, ut Cicero scripsit. Et quidem Datamis vir strenuus, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia, ut narrat Aemilius Probus. Cujusmodi hominum genere sic amicitiam lædentium detestabilior nullus est, teste B. Ambrosio. Et, ut Aristoteles ait, tales pejores tanto sunt illis, qui nũmos adulterinos conficiunt, quãto maleficiũ ipsum circa præstabilius est. Et non ab re ait Menelaus apud Euripidem: Varia mens, iniqua res est, atque amicis abdita. Et mercator Plautinus: Lupus est homo homini, non homo, cum qualis sit, non novit. Lucianus, etiam tum vel amare vel odisse quẽ diligenter exploraverimus, licere dicit: prius quam id factum sit, calumniæ concedere: in primo statim congressu, nimis quam puerile est, ac indignum viro, longeq; à justitia semotum. Isocrates, Cunctanter amicus fias, sed jam factus con-

constanter permaneas, inquit: talis enim erit tibi amicus aliquis, qualis fuit erga alios amicos. Ideo qualis fuerit, perscrutare ante, quam suscipias. Aeque turpe est amicum habere neminem, ac multis inconstanter uti. Amicos noli cum periculo dispendii experiri: familiarium vero facias periculum: & si alicujus rei non eges, te tamen illa indigere assimulabis. Et, siquæ palam tuto dicere possis, utiq; tanquam secreta committe. Quod si ut taceant nō adsequaris, nullo prorsus damno afficieris: si vero tacuerint, mores illorum optime noveris. Itaq; rarus ad recipiendas amicitias, memoratur Octavius Augustus, ad retinendas constantissimus fuisse. Receptis autem in primis amicis meminerimus oportet exhibere semper omnem honestam & commodam familiaritatem, & benignitatem, affabilitatem, & clementiam, ac, siqua in re majores sumus, nos illis submittere, eosque æquare nobis, neq; tamen magis quam æquum est, favorem illis impendere. B. Ambrosius: Amicitia, ait, superbiam nescit. Cedit amori majestas, inquit B. Bernardus: ille in

Inparæne si ad Demonicū.

se ipso

se ipso celsos humilésque contemperat, nec modo pares, sed unum eos facit. Petrarcha, Sacer orbis amor æquare novit inæqualia, amantemq; fideliter vix patitur non amari, quando & amante non amato nihil est miserius. Aequat sane amor imparia. scribit tamen ad Felicem C. Sollius, convenire humiles humilia sectari, nec cum illis parem familiaritatis tenere constantiam, quibus forte sit improbum, plus amoris, quam reverentiæ impendere. Rursum Isocrates, Erga familiares te facilem exhibe, inquit. Cæsar Augustus amicos ita magnos & potentes esse in civitate voluit, ut tamen pari jure essent, quo cæteri, legibusque judiciariis æque tenerentur, ut refert Tranquillus. Trajanus, ut Dion habet, venationes, convivia, seria, & jocos, frequenter cum amicis & familiaribus exercebat: in quorum domos sæpius vix quatuor comitantibus, etiam sine satellite, divertebat, & familiarius cum his recumbens quiescebat. Qua in re belle convenit C. Plinius in panegyrico illi dicto, inquiens: Diligis ergo cum diligaris, & in eo quod utrique hone-

honestissimum est, tota gloria tua est: qui superior factus, descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex Imperatore submitteris, imo tunc maxime es Imperator, cum amicum ex Imperatore agis. De quo etiam suoq; Gratiano Decius Ausonius simili oratione hunc alloquens ait: Trajanus ægrotantes amicos visere solebat: hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu & visere solitus, & mederi: præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumptum adjicis medelarum, consolaris affectos, revalescentibus gratularis. Adrianus quoque infirmos amicos visitabat, & quoties dies festos amici agerent, cum eis simul vivebat, & eorum agris ac domibus suaviter utebatur. Unde & multis eorum fato functis, & aliis dum viverent, statuas in foro posuit: neque familiarium cuiquam unquam injuriam intulit, ut Dion Cassius prodit. Et convenienter retulit Aelius Spartianus, eum Imperatorem optimum quemque amicitiis suis ingerere solitum, præsentia sua in conviviis honorasse, ægros bis ac ter die, & nonnullos equi-

tes Romanos & libertinos visitasse, solatiis refovisse, consiliis sublevasse, conviviis suis semper adhibuisse, omnia deniq; ad privati hominis modum fecisse. Iulius quoque Capitolinus Antoninum Pium memorat, neque de provinciis, neque de ullis actibus quicquam constituisse, nisi quod prius ad amicos detulisset: atq; ex eorum sententia formas composuisse. Marci Philosophi hæc sententia dicitur fuisse præcipua semper, Æquum esse, ut ipse tot taliumque amicorum suorum sequeretur consilium potius, quam ut tot talesq; amici ejus suam unius voluntatem sequerentur. Visus est etiam pius ab amicis, & cum privatis vestibus, & quædam gerens domestica. Oblectavit se deambulatione cum his, & sermone: neque aliter his in imperio usus est, quam privatus. Nempe non nescius ejus, quod belle canit Euripides in hunc sensum: Suos mutare mores haud decet probum virum, postea quam splendidis donatus est muneribus maxime: sed tunc amicis esse firmum convenit, quando maxime juvare jam potest felicior. Marcus insuper Philoso-

losophus narratur frugi fuisse sine cõtumacia, & comis amicis, verecundus sine ignavia, sine tristitia gravis. Namque, ut præclare ait Cicero, non solum colent se inter se amici ac diligent, sed etiam verebuntur. Maximumque ornamentum amicitiæ tollitur, si tollatur verecundia: in quo est perniciosus error quorundã, existimantium libidinum peccatorumq; omnium patere in amicitia licentiã. Sicut & de Heliogabalo Lampridius refert, eum sic amasse Herodem, ut eidem inguina oscularetur. Quod dictu etiam verecundum est. Sed quis dicet, amicos fuisse hos, si inter bonos tantum amicitia esse potest? Etenim imperator hic pessimus amicis quotidie donare solitus dicitur, nec quenquam indonatum facile relinquere, nisi quem frugi quasi perditum reperisset. At virtutum amicitia, & societas, adjutrix à natura data est, non vitiorum comes, ut quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta & sociata cum altera perveniret. Quæ si inter aliquos societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus

L. nec prætern. pro socio ff.

dus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus. Nam etiam ut Ecclesiastes ait, melius est esse duos, quam unum. Habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Atque ut ait ad eum locum B. Hieronymus, quanto duo ab uno differunt, tanto trium contuberniũ plus valet. scilicet juxta illud, quod eodem loco scriptum est: Funiculus triplex difficile rumpitur. Vera charitas & nullo violata livore, quanto augetur numero, tanto crescet & robore, inquit. Veruntamen in hac familiarissima & omnino conjunctissima amicitia multos esse non
Li. Eth. 8 c. 6. & 9. c. 10. posse, multis tradit Aristoteles: præcipue cum bonos simul esse multos non facile contingat, & sit nimis laboriosum multis vicissim subministrare. Unde ait Xenophon, multo melius esse, bonis, cũ pauciores sint, se beneficum reddere, quam pravis, quorum & magna multitudo existit, & quibus multo pluribus beneficiis opus est, quam sit viris bonis. Ideoq; B. Cyrillus, Episcopus, speculi sapien-

tiæ caput, quoddam apologeticum titulo præfigit, Vnumquemque amicum quidem eſſe debere cunctis, fideliſſimum univerſis, intimum paucis. Si nulli; mundum averſatus ne quandoque doleas: juxta aliud lemma cujuſdam ejuſdem Apologi, quo habet, tantum æternum diligendum, ne doleamus. Cui convenit quod divus Ephrem habet, cum omnibus charitatem ſervandam, abſtinendum autē ab omnibus. Secundum id quod etiam Chriſtus ait, cavendum ab hominibus: cum eo confer, quod alibi præcipit, proximum ſicut ſe ipſum diligendum. Tres autem eiuſmodi intimos amicos eſſe poſſe, compluribus conſtat exemplis. Quorum unum hoc viſum eſt dignum relatu, ex Toxari Luciani: Eudemidas Corinthius pauperrimus, Aretheus quoq; Corinthius, & Charixenus Sycionicus, opulenti, mutuo amici admodum fuerunt: tandemq́; Eudemidas vita decedens teſtamentum reliquit. In quo ita ſcriptum erat: Lego Aretheo quidem matrem meam alendam, atq́; in ſenecta fovendam, Charixeno vero filiam meam elocandam cum dote,

quanta ab ipso maxima dari poterit. Si quid autem interim acciderit alterutri, huius quoq; partem alter habeto. Arethęus autem & Charixenus ita hæredes amico pauperrimo facti, ut rem audierunt, venerunt illico, agnoveruntq; ac rata fecerũt ea, quæ erant testamento amici mandata. Sicque Charixeno postea quinque duntaxat dies superstite, vita functo, Arethęus tum illius, tum suo ipsius suscepto onere, & matrem aluit Eudemidæ, & filiam eiusdem amici non multo post elocavit, ex quinque talentis, quæ possidebat, duobus in propriæ filiæ dotem, duobus in amici fili erogatis: & nuptias ambarum eodem die celebravit. O bone Deus, qualis hæc amicitia, magis Christianis digna hominibus, quos maximè convenit habere cor unum, & omnia communissima: quemadmodum in primordio ecclesiæ inter multos effectum ab Apostolis Lucas retulit. Quanquã paulo post, dies malos Paulus dixerit, sed nunc pessimos igitur esse convenit. Q. etiam canente Horatio:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit

Nos

Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Et ait Alciatus noster, illam amicitiã adeo raram esse, ut cujusdam prodigii loco sit, si usquam gentium reperiatur. Opinatur enim, cum Hesiodi Erigone ad superos recessisse, & nusquam in humanis habitare. Et nihil mirum. Quos enim maxime amicos iudicant omnes, videmus paulo post inimicos fieri. Quod & testatur sic quidem Euripides: Mirum est profecto, ut incidant mortalibus præfixa certis cuncta fati legibus, Dum qui fuêre nuper inimicissimi, statuunt amicos: Rursus & qui benevoli fuerant, eos odiis acerbant mutuis. Tacitus quoque scripsit, amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere. Alius docentium nostrorum pariter notavit, hodiernis temporibus non reperiri verum amicum. Sicut & divus Ephræm de beatitudine animæ tractans, inquit, non inveniri in terra charitatem perfectam, quæ secundum Deum est: ab omnibus enim veluti expulsam esse. Quod siquæ talis est, valde divina est amicitia.

In l. lata ff. de verb. sign.

Pan. inc. 3 de po. stul.

citia; & sicut Poëtæ veteres volunt, & Plato asserit, homines consiliarii Dei ductu amici fiunt. Deus enim similem semper ducit ad similem, & notum facit similem simili, & necessario semper amicum. Quemadmodum generaliter fit ut similia simile amet, sicuti dixit Tyanæus. Hocque extra controversiam est, & iampridẽ à Platone, Aristotele & cæteris mandatum literis ex proverbio veteri. Quod verus amicus alter ego est; & amicorum omnia sunt communia. Hinc canit Anticlaudianus:

Pura fides, vera & pietas conjunxit, & unum
Esse duos fecit purgati fœdus amoris.

Nam David & Ionathas ibi sunt duo, sunt tamen unum, cùm sunt diversi: non sunt duo mente, sed unus. Inde & C. Plinius quadam Epistola ad Tacitum, Commendas, inquit, mihi Nasonem candidatum. Nasonem mihi? quid si me ipsum? ideoque traditum à nostris, pacem factam cum amico eius, qui in exilium actus est prodesse ipsi exuli, ubi municipali lege cautum est, pace facta quidem cum offenso exulem liberari. Et sicut impune quis potest

Cynus in l. ulti. ad Macc. C. Ang. in l. 4. §. Cato de ver oblig. ff. Marsil. in l. 1. num. 210. de rapto virgi. C. Bart. in l. non sol. § qui ali. proc. ff. Barba. in rub. de rescript. l cutori de neg gest. C Barba, in rub de rescrip. 1 co. 9.

potest perimere aggredientem se armis: ita quoque aggredientem amicum maximum. Et potest quis agere sine mandato pro amico, ac pro se ipso, nisi forte enixius contendatur ab adversario deficere illius amici voluntatem, ac verisimile sit. Et potest aliquis impetrare pro amico rescriptum ad beneficia, & ad lites. Nec ab re Macentes Lucianicus, cum Arsaconæ Maseam dilectam in manum daret, & gratias ageret amicus, Desine, inquit, ac noli me alium à teipso putare. Nā mihi profecto gratias agere ob hæc, quæ feci, perinde est, ac si sinistra mea gratias agat dextræ, quod vulneratæ sibi subministravit, atq; officiosè curam egit ægrotantis. Sicut & Baldus generaliter ait: Amicus amico dicit: Tuus ego sum, & me tuum esse recognosco. Verus amicus, ait Xenophon, paratum se ipsum exhibet ad omnem amicorū inopiam sublevandam, sive in rebus privatis, sive in publicis. Et quemadmodum supra diximus, aitque Cicero, scire nos oportet, quo quisque, & quanto amicus sit nobis animo, ut & quantum cuique confidamus, constituere possimus.

In l. 1. col. 12. C qui acc. non poss.

ſimus. Ita quoque oportet examinemus nos ipſos, quanti amici noſtris exiſtimandi ſumus; atque conemur quam maximi eſſe, ut quam minime nos amici noſtri prodere velint: atq; ut volumus illos æquo animo pati noſtras ineptitias & vitia, ſufferamus quoque illorũ amice, quaſi quadam compenſatione. Quomodo canit Q. Horat.

Amicus dulcis, ut æquum eſt,
Cum mea compenſet vitiis bona pluribus, hiſce
Si mihi plura modo bona ſunt, inclinet: amari
Si volet, hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius: æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Porro quod dictum eſt communia inter amicos omnia eſſe debere, adeò verum eſt, ut nullius ſit parcendum bonis, ſed quicquid eſt bonorũ (modò cum Dei voluntate fieri poſſit) poſtponendum eſt amici benevolentiæ

tiæ & saluti. Nec sanè major ulli potest contingere infamia quam videri pluris fecisse pecunias, quam amicos, ut ait Crito apud Platonem, rogans amicum Socratem à calumniatoribus in discrimen mortis adductum, ut vel pecuniis pateretur se redimi. Sextus Propertius:

Nescit amor magnis cedere divitiis.

Martialis:

Extra fortunam est quicquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Id quod vere animo pauper amicus (agit.

Vnde etiam inquit idem, Quoties amico diviti nihil donat, ô Quintiliane, liberalis est pauper. scilicet etiam, cum dives non egeat, nullo vel exiguo amici, juxta Catonis dictum, munere animum testante, satis est. Ait & Plautus, Bene si amico feceris, ne pigeat fecisse: utpote pudeat, si non feceris. Et alibi: Decet velle hominem amicum animo opitularier. De vulgaribus autem & levibus amicitiis, quales sæpius sunt etiam, quæ maximæ putantur, dixit idem: nam hospes nullus tam in amici hospitiũ

divorti potest, quin ubi triduũ continuum fuerit, jam odiosus sit. Unde & Proverbiographus sacer inquit: Subtrahe pedem de domo proximi tui: ne quando satiatus, oderit te. Coccejus Nerva quanquam pecuniæ inops, cum vestes, vasa, domos, & omnia præter admodum necessaria venderet, nil tamen segnior in juvandis & extollendis amicis fuisse à Cassio Nicæo dicitur. Et similiter à Vopisco Aurelianus, & ab Spartiano Adrianus, amicos ditasse, & quidem non petentes; cum petentibus nihil negaret. Hic tamen facilè de amicis quidquid insusurrabatur, audivit, atque ideo prope cunctos vel amicissimos, vel eos, quos summis honoribus evexit, postea vel hostium loco habuit: malè animadvertens, quod mirificè dixit Cicero, Nervos atque artus sapientiæ esse, non temerè credere. Id quod in amicis maximè obtinet. Quos magis oculis, quam auribus credere oportet, ac mutuò fidere maxime. Laudatur Agesilaus, quod amicis credebat, nil amicorum fidem unquam veritus. Qui neque inimicis contemnendum, neque civi-
bus

bus mulctandum, neque amicis vituperandum se præstitit, ut ait Xenophon. Porrò verò non oportet assentire vel nimio amore ineptiis nostris suffragantibus amicis: quando nec nos tales illis esse amici debemus. Quos eatenus, quatenus illis utile est, maximè animæ, amare debemus, prudenti speculatione considerantes singula, imitantes episcopum (ut habet Apostolus) animarum nostrarum Iesum Christum summum amatorem (ut constat abunde) humani generis: qui dum castigat, magis amare videtur: ut planum facit scriptura: idq; filii seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua ostendunt. Et docet exemplo suo Aurelianus imperator, utilitatem amicorũ in officiis omnino spectandam. Qui quidem amicos suos honeste divites faciebat, & modice, ut miserias paupertatis effugerent, & divitiarum invidiam, patrimonii moderatione vitarent. Sic affectus in omnibus, ad utilitatem, veritatem, & virtutem cogendus. Nec fidendum imprudenter amicis nostra admirantibus. Quibus facit persæpe amor, ut quæ in amicis vel minima sunt,

ſunt, ſimulachra virtutis maxima etiam videantur. Quare moderate omnia de amico prædicanda ſunt & ſentienda, ait Philelphus. Itaque modeſto animo objurgatio, & omnis amici monitio eſt ferenda. Quæ & modeſta, & commoda eſſe debet, & vera, non adulatoria. Si (inquit Iſocrates) amicos, qui tibi in re iniqua gratulantur, probaveris, non habebis, qui te ad meliora corrigant. D. Ambroſius: Amicus amicum quaſi parem audiat, & æqualem, & ille quaſi amicus moneat, objurget, non jactantiæ ſtudio, ſed affectu charitatis: neque monitio aſpera ſit, neque objurgatio contumelioſa. Sicut enim adulationis fugitans amicitia eſſe debet: ita etiam aliena inſolentiæ. B. Bernardus: Amicitia objurgationem habet, adulationem nunquam. Plutarchus: Amici propria eſt libertas loquendi. Tullius: Aliter cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cum omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt,

Ad Demonicú.

poteſt. Nam cum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus, quî fieri poterit, ſi ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque ſemper, ſed varius, commutabilis, multiplex? Cujus autem aures clauſæ ſunt veritati, ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt. Nam & monendi amici ſæpe ſunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cum benevolè fiunt. Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria Terentius dixit: Obſequium amicos, veritas odium parit. At verò dicit Iſocrates allocutiones crebras nequaquam amicis faciendas eſſe, neque longas de eiſdem rebus. Eſt enim rerum omnium ſatietas: nempe etiam, ut Ariſtoteles inquit, conturbat audientem quod frequenter dicitur: & ſicuti alius ſcripſit, Repetitio parit faſtidium, unde & proverbia: Acta agis. & : Repetita crambe, à recentioribus explicata. Sed neque debent prodi amicis aliorum peccata, ut B. Auguſtinus tradidit: tantum abeſt, ut amici aliis prodi debeãt, & quoquo modo oppugnari. In quo nimium notum illud Horatii;
Ab-

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Ait & Cicero, Si quis roget quod honestè aut sine detrimento nostro promittere non possumus, quomodo si quis roget, ut contra amicum aliquam causam recipiamus, belle negandum est, ut ostendas necessitudinem, demonstres quam moleste feras à te id exigi. Insuper scripsit Isocrates, absentium amicorum inter præsentes memoriam agendam, ut neque hos aliquando absentes parvipendere videamur, quod putatur facile ab amicis absentibus. Neque aliquid ad dissolvendas amicitias valet magis, quam amicorum separatio, quorum munus præcipuum, invicem conversari, Aristoteles dixit. Idque juxta proverbium, quod habet, de ea quam oculus non videt, re, non dolere cor. Ac, ut sæpe scripsit Philelphus, quod abest ab oculo, abest à

corde.

corde. Verus tamen & magnus amor non proinde cessat, sed augetur potius: sicut ait B. Bernardus: quo gratiorem experti sumus alicujus præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sentimus. Subtractio nempe rei, quam amamus, augmentatio desiderii est. Et quod ardentius desideramus, hoc caremus ægrius. Quam ad rem attinet, quod Plautus in Captivis ait, tum denique omnes nostra intelligere bona, cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus. Ejusmodi autem amicitiæ officia & diligenter & prudenter maximè ab amico præstari oportet, & permanere amicum scilicet in sinistra etiam amici fortuna. Et condolere quantum expedit, sicut & conlætari in prospera: atque perpetuo inquam, quantum fieri poterit, amicum esse: neque vero exprobrare quicquam amico, nec insolenter de se sentire, vel magnum quid, etiam si verum sit, erga amicum. Agarastocles Plautinus adolescens: ita me Dii ament, tardo amico nihil est quicquam iniquius, præsertim homini amanti: quicquid agit, properat omnia. Annæus Sen.

Odit

Odit verus amor, inquit, nec patitur moras. Plato scripsit, si quis ab amico sanæ mentis arma acceperit, idem verò insanus repetat, non oportere ea reddi, neque justum esse eum, qui reddat, vel etiam homini sic affecto vera omnia dicat. Quanquam alioquin, quod ait Simonides, justum est debitum unicuique reddere, sicque depositum, quod & quodammodo debitum est. Illeq; ὀφειλόμενον appellavit, quod cuique convenit. Quod nostri jureconsulti ajunt, quod cujusq; proprium est, suum esse jus est. Amicis enim amicos benefacere debere, non autem malè, planum est.

Marsil. in repet. ru. de fide jn. n. 137. &c.

Quod & fit prudenter, sicut prædiximus, insano deposita arma negando, tum aliâs similiter. Deinceps Valerius Maximus, Syncerae, inquit, fidei amici præcipue in adversis rebus cognoscuntur: in quibus sane qui vel opibus subvenerint vel fidejusserint præsertim pro magno debito, jure amici & magnæ amicitiæ fungi existimari possunt.

Barba. in c. nisi specialis. co l. 1. de of. fic. leg. & in c. cert.

Nec tales jure queunt refutari, etiã si res soli non habeant. Et inter hos testamentũ factũ operatur idem, quod clausula codicillaris.

Eide-

Fidejussorem enim dare idoneum omnino, non facile neq; possibile passim est, nec invenire qui mutuum det gratis, vel fideiubeat gratis : cum & pro eo, quod fideiubent homines, pecunias recipiunt, teste Baldo. quoniã amicitia hodie inter paucos est, ut dixit Bartolus. Nempe quia & longe noxia sponsio est, & fideiussio eius modi, ut pridem quoque Thaletis Græci sapientis sententia admonet, quam Decius Ausonius ita retulit: ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Ecce dicimus, latinum id est, Sponde, noxa præsto tibi est. Per mille possum currere exempla, ut probem, prædes, vadesq; pœnitudinis reos : sed nolo quenquam nominatim dicere. Sibi quisque vestrum dicat, & secum putet, spondere, quantis fuerit & damno & malo. Quod Plinius dictum tribuit Chiloni, dicens, unam hanc esse eius, ex tribus quæ Delphis consecratæ erant literis aureis, sententiam, comitem æris alieni atque litis esse miseriam. Hanc tamẽ nimium multi incurrunt in dies : ut putarim magna ex parte id contingere, non magna amicitia, sed vel stoliditate, vel spe nescio cuius lucri,

col. 4. de proba. & in Ioannina col. 119. §. penult. de dep. in authen. nos. in authen. hoc jus. de sac. eccles. C. In l. 6. §. Marius. mãda. ff. In l. 1. cóticul.

eri, quæ eos fefellit. At etiam inquit Euripides, In malis qui sunt potissimum boni patent amici: læta amicos passim habent. Nec est, ut testatur Lucianus, in quo magis Scytha glorietur, quam in adiutandis amicis, communicandisq́; rebus acerbis: quemadmodum neque probrum apud eos maius ullum, quam amicitiam deserere, quæ vera est: non pro more istorum vulgarium, qui donec secundis ventis navigant amici, indignantur, nisi ex æquo participes fiant rerum lætarum: quod si vel tantillũ venti eis reflare cœperint, aufugiunt, solos in periculis deserentes. Item Menelaus apud Euripidem, Dolere amicos tamen oportet mutuum, inquit: tantum abest, ut amici malis amicus illudere debeat. Quod non convenire, Callidemides apud Lucianum dicit. Idq́ue tanto indecentius est, quanto molestius, ab amico illudi, quam ab inimico, à quo pravum videri nihil molestiæ habet, ut Tyanæus ait, quanquam equidem multum gloriæ parit, ab eodem laudari, & indignum malo videri. Inquit & Plauti Euclio: laudo malum, cum amici

amici tuũ ducis malum. Item Xenophon, Stolidorum eſt, qui cum in neceſſitate amicos negligere nequeant, ſed inquantum poſſunt ſuccurrant, de eorum tamen proſperitate doleant, inquit, quod tamen religioſus] haud ſtolide facit amicus, commode dum in amico, quod in ſe ipſo timet venenum proſperitatis. Quæ, ut idem habet, neminem non facit deteriorem. tum in adverſis, quod dictum eſt, dolendum eſt mutuo quidem, & condolendum amico tribulato, ſed modice, magiſque oportet nos conſolari taliter affectum amicum, hortantes ad meliora, ſermonibus quam efficacibus. uti feciſſe etiam Helenam Ledæam, Ægyptia medicamenta miſcentem in cratere, ut animæ dolorem dilueret, docet vates celeberrimus in Odyſſea, dicens:

Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησ' Ἑλένη Διὸς ἐκγεγαυῖα.
Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθές τ', ἄχολόν τε κακῶν, ἐπίληθον ἁπάντων,
Ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
Οὐκ ἂν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν.
Οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε

Οὐ

Οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν
Χαλκῷ δηιόῳεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο.
Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντος
Ἐσθλὰ, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν, Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

i.e. Ibi vero tum alia excogitavit Helena Iove prognata.
Protinus enim in vinum pharmacum misit. Vnde bibebant
Nepenthes & Acholum omnium malorum oblivionem inducens
Illi qui deglutierit, cum crateri ritè mixtum fuerit.
Non per totum diem genis dimittet lachrymas,
Neq; si illi mortui fuerint mater paterque,
Neq; si ei coram fratrem vel carũ filium
Ferro trucidarent, ipse vero oculis aspiciat.
Talia Pharmaca habebat prudentis Iovis filla.
Bona quidem, quæ illi Polydamna præbuit Thonis uxor
Ægyptia, ubi multa producit fertilis terra

Pharmaca, multa quidem utilia, multa quoque noxia.

Ex his enim Tyanensis Magus nihil aliud significari putavit, quam Helenam, cum sermones Ægyptios didicisset, eos mœstis hominibus narrasse, eosq; in cratere posuisse, id est sermonem pariter ac vinum, pro levanda ægritudine, adhibuisse. Præterea, facultate quoque omni succurrere oportet amicis, memores ejus etiam quod dicit Aristote. Nemo amator est, qui non semper amat. Vlysses Euripidis: quam turpe, si quem vivum amicum sensimus, huic desinamus esse amici mortuo! Quanquã & ex hoc, quod vix reservatur imaginaria fides vel superstitibus, non præter æquum opinabere, si perpaucos esse conjicias, qui mortuos ament, ut Sidonius ait. Tametsi amicis non optanda est vita longa, ut divus Augustinus habet, sed quod utile. Qua in re convenit, quod inquit Aristoteles: Amare, est velle alicui, quæ bona putet, illius, non sui gratia: eorumq, activum esse, inquantum potest. Neque dolendum est nimis de amici morte, quemadmodum Lucianus

nus monet: noras mortalem te comparasse amicum tibi; quare non debes dolere de ejus morte. Et quando concludit in Eclog. de vita humana Auso.

Optima Grajorum sententia: quippe homini ajunt
Non nasci, esse bonum, natum aut cito morte potiri.

Tandem Tul. Odiosum sanè genus hominum, inquit, officia exprobrantium, quæ meminisse debetis, in quẽ collata sunt, non commemorare, qui contulit. Plato quoque, Amicorum, ait, & sodalium in vitæ consuetudine summam benevolentiam consequetur, qui illorum in se officia majora præstantioraque putabit, quam illi, sua verò in illos minora. Licet alia est hominum, ut solet esse in omnibus, vulgò depravata conditio: unde dixit Martialis:

Semper inhumanos habet officiosus amicos.

Etsi etiam ne meminisse quidem fas est illi, qui bene quid fecerit, ut habet Ausonius ex Chilonis Spartani sententia; inimicum quoque ex amico factum humanius habendũ tradunt, quam

quam alium. Nihilque turpius, quam cum eo bellum gerere, quo cum familiariter vixeris, ait Cicero. Reconciliato autem amico censent non esse fidem adhibendam. Unde talem non esse idoneum testem contra amicum, si vel recens reconciliatus sit. Quandoquidem ne ficta sit talis omnis ejusmodi amicitia, vehementer dubitatur. Unde etiam monent veterum Hebræorum Apophthegmata, cavendum ne offendas amicum sapientem, ne non illi amplius reconciliari possis. At rectius esse videtur tali etiam fidem adhiberi, aut palam non amicum haberi, ac talem amicum omnino habendum, si vel suam culpam agnoscens resipiscat, ut præclare docet nos Poëta Ascræus, sic dicens:

Bald. in marg. verbo testis. & Alex. ad Bart. ff. in l 3. de test.

----Εἰ δέ κεν αὖθις
Ἡγῆτ' ἐς φιλότητα, δίκην δ' ἐθέλῃσι παρασχεῖν,
Δέξασθαι. δειλός τοι ἀνὴρ φίλον ἄλλοτε ἄλλον
Ποιεῖται, σὲ δὲ μή τι νόον κατελεγχέτω εἶδος.

---- Sin vero rursus
Redeat ad amicitiam, pœnam autem velit præstare,
Suscipe. miser namque vir amicum alias alium

Facit, te vero nequid animo coarguat vultus.

Neque enim ulla unquam fuit tanta conjunctio hominuũ, quæ non offensi aliquid senserit. Et cum Ovidius dicat Orestem cum Pilade in gratiam rediisse, nemo ejusmodi illiberalis ingenii sit, ut propter inveteratum odium viam amico in gratiam redeundi præcludat, ait Paraphrastes illius. Quippe & Paulum Apostolum Barnabamque diversa aliquando volentes discessionẽ fecisse scriptura commemorat. ut plus nimium verum sit, esse naturalem discordiam hominibus, omnibus filiis iræ existentibus, indeq; imprudenter belligerantibus; quemadmodum & Plautus ait: nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi, capiunt voluptates, capiunt rursum miserias. Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam. Verum iræ, si quæ forte eveniunt hujusmodi, inter eos rursum si reventum in gratiam est, bis tanto amici sunt inter se, quam prius. Quod quidem Lib. 12. cap. 2. pluribus exemplis etiam à Gellio relatis confirmatur.

CAP.

CAP. XV.

Amandi inimici.

POrrò & alioquin inimicũ quemcunque amandum, ex divinorum instrumentorum præscripto, multo apertissimoq; nõ ignoramus. Quodque adeo utile & pręstans est, ut martyrem faciat. Matyrium enim, hoc est testimonium fidei Christi cum supplicio, ob id agere quodammodo videtur, qui Christi præceptis usque adeo parere nititur, ut quod difficilimum apparet, magna naturæ animi humani contradictione, inimicum amet. Sicutique scripsit B. Gregorius, duo sunt martyrii genera. Vnum, in publico: alterum, in occulto. Idque, quando aliqui occultè antiqui hostis insidias tolerantes, suosque in hoc mundo adversarios diligentes, cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore martyres fuerunt. In hoc tamen Socrates & similes plerique aberraverunt à vero, justum putantes, prosequi odio, qui nobis male vult, & male

male illi facere, qui nobis male facit. ſecundum id quod egregius ſi diis placet, eorum ſacerdos cecinit: εἰ δέ κεν ἄρχῃ, ὅ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον, ἠὲ καὶ ἔρξας, δὶς τόσσε τίννυσθαι μεμνημένος. Quaſi æquum ſit me male agere & prave, quia alius id facit; quaſi eo quod homo nobis amicus eſt, diligendus ſit, non magis propterea quod homo eſt, & propter Deum; quæ ſane perpetua ſunt. O verè mancam atque inanem prorſus ſapientum ſapientiam! nimirum dictum à Deo per Eſaiam, ut Paulus cum ſeptuaginta fere extulit: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Verum ſunt qui ſentiant autores hujuſmodi divos eſſe, ob multa tum benedicta, tum facta: quaſi etiam ex animo omnia dixerint. Quod negat Hier. dum ait: immortalem animam & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtere in conſolationem damnationis ſui, Socratem diſputaſſe in carcere, plane affirmans, abſque notitia ſui Creatoris, omnem hominem pecus eſſe. Et alibi dicit, Philoſophum, gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium. Igitur, ut mittam cætera,

i.e. Si quis incipiat primus, aut odio ſum verbum loquens, vel faciens, bis illum ulciſci memento.

tera, ſtulta eſt illa non minus, quam impia opinio. Nec dubium inimicos quoque diligendos, quando & incerti ſumus an illi primas in regno cæleſti obtinebunt, nos vero ſecundas, aut poſtremas, vel quod Deus avertat, etiam nullas. Magna enim omnino eſt mutatio dexteræ Excelſi. Ideoque ſemper humilitatis & amoris memores, neminem deputemus inimicũ, neminem inferiorem nobis, imò; omnes amantes, nemo ſit quo nos ipſi non inferiores exiſtimemus, ut monet Varenius, ac etiam B. Bernardus. At quomodo conſtat inimicos diligendos, qui mali ſunt? Nonne Ephræm Syrus, vir ſanctiſſimus, ait, hoc præ omnibus ſtudendum, ut nullum habeas inimicum, niſi diabolum, ejuſque miniſtros? nonne diximus malos odio habendos, ad idque nos naturâ induci? ſed nemo erit, qui tam parum videat, ut non intelligat odio habendam malitiam, non eos, qui male agunt: quorũ habenda eſt cura. Infirmi enim ſunt, ut ait Theophylactus: Quanquam olim quidem vetus teſtamentum permiſerit, ipſos odiſſe malos, uti ſcripta B. Gregorii

In l. 2 de sum. tri. C. 23. q. 4. declarant, ita intelligenda, ne in errorem inpingamus latè notatum à te alicubi. Ait enim B. Gregorius à Gratiano quoque relatus, cum in lege scriptum sit: Diliges amicum, & odio habebis inimicum tuum, accepta tunc licentia justis fuerat, ut Dei suosque adversarios (inquit) quanta possent virtute, comprimerent, eosq; in ore gladii ferirent. Quod in novo proculdubio testamento compescitur, cum per semetipsam Veritas prędicat, dicens. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Cæterum, præclare ait Boëtius: Cum ægros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione judicemus, multo magis non insequendi, sed miserandi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas. Vis aptam meritis vicem referre? Dilige jure bonos, & miseresce malorum. En satisfactum tuæ voluntati, vel sane conatum quantum maximũ potuimus. Nec scio quid dicam præterea. GOD. Conclude igitur. FAB.

EPILOGUS.

Amandum.

COncludam ergo, amandum Deum, & ut illi placet, cætera amanda omnia, amandum sane. Quoniam amor loquitur ubique. Et si quis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra tum ad audiendum tum ad legendum amoris carmen, qui non amat, accedit, quando omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non novit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans aut cymbalum tinniens, quemadmodum ait beatus Bernardus cum divino Apostolo. Satin'? G. Satis profecto. Ac ni gravareris, facile paterer jam à te dici reliqua. F. Aequum est te nunc dicentem audiri, dilectissime. G. Cedo, æquum est, & jam exordior.

PETRI GODOFREDI, De Amoribus, LIBER II.

Caput I.

Præcellens conjugii amor: ejusq́ʒ utilitas ac necessitas.



Magnos nobis excellentissimosque amores narrasti, charissime, atq; eorum, qui cum nulla prorsus necessitudine sanguinis teneantur, longe tamen edunt clariorem amoris efficaciam. Amicus & sodalis in tempore convenientes, ait Ecclesiasticus; at super utrosque mulier cum viro. Et sicuti canit Poëta:

Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major.

Vtque docuit quadam Epistola ad omnes Christi fideles Thomas Illyricus,

cus, annulus ille, qui per sponsum, quasi Deum sponsæ, quasi animæ vel ecclesiæ digito quarto inditur, ex institutione ecclesiæ, unus & aureus & rotundus esse debet. Quoniam sicut aurũ excellit inter omnia metalla: ita amor iste inter cæteros amores, unus & perpetuus existens. Nec ab re Cicero, Prima societas, inquit, in ipso est conjugio, proxima in liberis. Et Aristoteles: Viro autem & uxori secundum naturam amicitia inesse videtur. homo nanque natura conjugale magis est, quam civile animal, quanto prior & necessaria magis est domus, quam civitas, & procreatio communior animalibus. Vt sint etiã, qui parentibus antiquiorem conjugem esse debere sentiant, divino dicto ceu manifestario, quod jubet, relinquendos illos adscituro uxorem. Vnde magis puniri peremptorem conjugis, quam parentis, canonico jure notatum. Etsi aliis visum id fieri, quoniam pronius est in conjugem delictum; aliis, propter imperiũ viri. De hoc certè amore, mistaq; scilicet Venere, antequam de illo impuro, videtur dicere oportere: quia

In c. admonere 33. q. 2. Cepol. com. 31.

proximum & conjunctum est prædictis à te, nec non dignius primumq́; : nempe simul ac in mundi initio unus homo cum una fœmina esse cœpit, atque à Deo institutum ante peccatũ. Porrò, ut loquitur Florens Tertullianus, unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renuntiant? sanè etiam, ut nostrum quidam scripsit, matrimonium est principium & fundamentum humani generis, & lege dictum est, nuptiis nihil esse utilius, tanquam solis facere homines valentibus. Vnde & amoris illa definitio tradita à Philosophis, ministerium videlicet esse Deorum ad curam & ad conservationem juvenum exhibitum, ut retulit Plutarchus Cheroneus. Ait & Tullius: cum ad tuendos conservandosq; homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit nedũ gerere Rempublicam, verum etiam, ut è natura vivat, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare, & cum ea suaviter vivere. Proinde quoque Poëta dixit:

Bal in c. nonnulli col. 2. de resc. Auth de rest & ea, quæ pa. in unde. mensc. §. rursus autem.

Ἀγαθὸν

Ἀγαθὸν δὲ γυναικί περ ἐν φιλότητι μιγῆναι.

i. e. Bonum est mulieri amoris glutino misceri.

Ad id quod naturâ cætera etiam animalia inducuntur, & nobis exemplo sunt. Quemadmodum canit alter vates præcipuus:

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Et P. Ovidius:

Cum pare quæque suo coëunt volucresque feræque,
Atq; aliquam, de qua procreet, anguis habet.

Vnde productivum multijugæ substantiæ tempus, maxime Veneri dicatum, ut idem Poëta canit:

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,
Quem Venus injecta vendicat alma manu.
Illa quidem totum dignissima temperat orbem,
Illa tenet nullo regna minora Deo:
Iuraq; dat cœlo, terræ & natalib. undis;

Perq; suos initus continet omne genus.
Illa deos omnes (longum est numerare) creavit:
Illa satis causas arboribusque dedit.
Illa rudes animos hominum contraxit in unum
Et docuit jungi cum pare quemq; sua.

Et mox:

Nec Veneri tempus quam Ver erat aptius ullum.
Vere nitent terræ: Vere remissus ager.
Tunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Tunc tumido geminas cortice palmes agit.
Et formosa Venus formoso tempore digna est,
Utq; solet. Marti continuata suo est.

Majo tamen mense malas nubere vulgus ait. Qui mensis habetur omnium jucundissimus. Quo etiam olim Romanis læta erat festivitas illa ludicra, de qua titulus est in Codice juris, dicta Majuma. Illud autem antiquitus proverbio dicebatur, ceu malum omen haberet, nubere mense Majo: quod à majoribus natu dictus sit: quibus inepta Venus, apta juvenibus. Quæ, ut etiam canit Cneus Cornelius:

Et

Et genus humanum, pecudum, volucrumque, ferarumque,
Et quicquid toto spirat in orbe, creat.
Hac sine diversi nulla est concordia sexus
Hac sine conjugii gratia summa perit.
Hæc geminas tanto constringit fœdere mentes,
Unius ut faciat corporis esse duos.

Sextus Propertius:

Exemplo tibi sint conjunctæ in amore columbæ,
Masculus, & totum fœmina conjugium.

Politianus:

Murmur apricantes nivea dant turre columbi:
Expandunt alas, & amicam, blandá rogantes
Oscula, circumeunt, insertantque oribus ora.

Quinetiam ipsa in universum rerum etiam insensibilium natura, nos admonet matrimonii: cum in nonnullis arboribus & sexum & conjugium & coitum adnotent scriptores: adeo, ut quæ fœminæ sunt, nisi adsint masculæ arbores, steriles maneant. Necnon affirmant, nihil è terra gigni, quod sexu careat, ut notat Erasmus.

Nota-

Notaque magnetis amantis ferrum natura, aquæ ignis proditor ſilex ferro junctus & concuſſus. Vt enim ſilex latentem ignem in ſe habet, qui concuſſione emicat: ſic in utroque ſexu eſt recondita vita, quæ tandem profertur mutua copula in prolem viventem. Ideo ſilicem in matrimonio auſpicando præferunt aptiſſime, etſi dicti Lapones, hoc eſt inepti, autore Zieglero. Ignem etiam quadam naturali benevolentia à longinquo attrahit Naphtha, bituminis genus, & Aproxeos herbæ radix: ut refert, inter alia miranda naturæ ſecreta, Agrippa in Magia. De quibus, ut de aliis quoque, Plinius ita ſcripſit: A Pythagora Aproxis appellatur herba, cujus radix è longinquo concipiat ignes, ut Naphtha. De qua & Dioſcorides Anazarbeus: Naphtham inquit vocant Babylonii bituminis colamen, colore candidum, quanquam & nigrum eſt. Cujus vis eſt, ignes rapere; ita ut ex ſpatio protinus in eam tranſiliant. Cæterũ, Pogonato Cętare etiam teſte, palma ipſa amat, & quidem ardenter, alteram palmam, velut Florentinus in Georgicis ſuis tradit,

dit, neq; prius desiderium in ipsa cessat, donec ipsam dilectus consoletur. Videre enim est, ipsam arborem incurvatam, & non ferentem proprium firmamentum, neq; fructum producentem. Atque hoc ipsum agricolam non latet. Novit enim quod amet: quam verò amet, ignorat. Quapropter multas palmas contingens, rursusque ad amantem regrediens, eamque manu attingens, quasi osculum mutuo ministrare videtur. Quam verò palmam desideret, affectionum, &, si ita dicere liceat, manuum nutu aliquomodo significat. Ad illam enim respicit, & in illam, radicibus extentis, se amanter injicit, eamq; quasi amplectitur. Medela igitur amoris est, ut agricola frequenter masculam contingat, & manus suas amanti admoveat: & maxime, ut flores de capite masculæ ademptos in caput amantis imponat. Hoc namq; modo amorem mitigat, & palma ipsa splendida reddita de cætero optimum ac pulcherrimum fructum feret, tanquam videlicet existens in conjugio. Porro vero, ut ait Aristoteles, in cæteris animalibus procreandi gratia solum

solum maris & fœminæ societas est constituta. In hominibus verò & societas est maxime secundum naturam maris & fœminæ: sed non essendi solum, verum etiam bene essendi mas & fœmina ope mutua conjunguntur: filiosque procreant, non solum ut id naturæ tributum ferant, verum etiã, ut commoda deinde suscipiant. Valentes enim ipsi imbecillos suos labore tuentur & alunt. Hoc hominum conditio mortalis per successionem immortalitatem consequitur quodammodo, & quantum possibile est, hic primo principio assimilatur. Xenophon etiam: Deus, inquit, matrimonium instituit, primum quidem ne animantium genera deficerent: deinde ut haberemus à quibus nostra senectus aleretur. Adde plane, ut voluntatem Dei agentes, à nobis geniti perpetuo cum eo regnarent. Omniumque parentum vota bene quidem institutorum huc tendunt. Quamobrem qui matrimonium negligit, videlicet fornicando, aut quomodocunque aliter vivendo non spiritualius, Deum ipsum negligere videtur. Quippe qui dixit; Crescite, & multipli-

tipli-

tiplicamini, & replete terram: ut inde videlicet repleatur paradisus cælestis, prævaricatione dæmonum multis vacuus.

CAP. II.

Quæ uxor, qui vir, aptissimi.

SEd maxime apta quænam sit, ad tam sanctam, tam amabilem, & perpetuam consuetudinem, simul agendam, mulier, & qui vir similiter, videndum est: cum haud dubie optima eligenda sint semper. Et licet breviter satisfacere possit illud Pythagoricum, quod habet, μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, planius tamen ajunt in primis, pulchram & mundam, sine fuco & luxu & superbia, cum facilitate & commodo pudore, probam & bene institutam uxorem esse debere. Quomodo verò pulchra esse debeat, explicant versus Cornelii dicentis: i.e. mediocritas in omnibus optima.

Horrebam tenues, horrebam corpore pingues,
Nec mihi grata brevis, nec mihi longa fuit.
Cum media tantū dilexi ludere forma,

Ma-

Major enim medius gratia rebus ineſt.
Quærebam gracilem, ſed non quæ macra fuiſſet:
Carnis ad officium carnea membra placent.
Sic quod in amplexu delectat ſtringere corpus,
Ne lædant preſſum qualibet oſſa latus.
Candida contempſi, niſi quæ ſuffuſa rubore
Vernarent propriis ora ſerena roſis.
Aurea cæſaries, demiſſaq; lactea cervix,
Vultibus ingenuis viſa ſedere magis.
Nigra ſupercilia, & frons libera, lumina nigra.

Et mox,

Flammea dilexi modicumque tumentia labra,
Quæ mihi guſtanti baſia plena darent.
In tereti collo viſum pretioſius aurum.

Et alibi:

Hæc erat egregia forma, vultuſq; ſereni:
Grata micans oculis, nec minus arte placens.
Vrebant oculos duræ ſtanteſq; papillæ,
Et quas adſtringens clauderet una manus.

Rurſum ubi ait:

Pande, puella, pande capillulos

Flavos,

Flavos, lucentes ut aurum nitidum,
Pande, puella, collum candidum,
Productum bene candidis humeris,
Pande puella stellatos oculos,
Flexaq; super nigra cilia,
Pande, puella, genas roseas,
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia basia.

At niveo colore præstare nigrum, hoc est subnigrum & fuscum, multi tradunt. Nedum,

Est etiam in fusco grata colore Venus.

Quod Naso ait. Martialis:

Sit nive candidior. Namque in Mareotide fusca
Pulchrior, est quanto rarior iste, color.

Nam & pulcherrima fuit mulierum virgo mater Dei, nigra tamen dicitur & fusca. Vnde Baldus: Conatur, ait, ars & ratio facere optima ad instar naturæ: conatur pictor pingere imaginem, quam pulcherrimam natura posset producere ut beatę virginis. Et ipsa in Hagiographis: Nigra sum, inquit, sed formosa, filiæ Hierusalem. Nolite me considerare, quod fusca sim. Et hic color fuscus supra omnes cum cæruleo visu gratissimus ac saluberrimus est, amplissimo teste Galeno,

In l. liberti de ope. l. C.

leno, ubi agit de causis Symptomatum. Quamobrem oculos cæruleos habere Deiparam crediderim: quam oculos columbarum habere sæpe Cantica sacra enuntiant. Tum relatum est, matronas & spectatæ pudicitiæ mulieres, nisi nigro capillo, Romæ, & longe lateque fusa toga ad talos demissa, stolaq; ac flammeo, & vittis & reticulo, quo capita velarent, usas, cum meretrices interim flavum capillum haberent, & togam subductiorem, absq; flammeo & vitta. Cæterum jocatur etiam Xenophon, simam uxorem ei, qui adunco est naso, convenire. Similiter parvo parvam uxorem scribit competere. Nam si magnam ducit, ubi quandoque velit eam rectam osculari, eum prosilire oportebit quemadmodum anserulum. Item, simplicitatem commendans cultus, & puritatem corporis, in conjugibus, eleganter ait ejusdem Ischomachus: ὥσπερ οἱ θεοὶ ἐποίησαν ἵπποις μὲν ἵππους, βουσὶ δὲ βοῦς ἥδιστον, προβάτοις δὲ πρόβατα: οὕτω καὶ οἱ ἄνθρωποι ἀνθρώπου σῶμα καθαρὸν οἴονται ἥδιστον εἶναι. i. e. Sicuti equos equis, bovibus vaccas, oves arietibus misceri jucundissimum esse voluere dii, ita purum hominis corpus homini acceptissimum esse voluerunt.

His

His enim vel maxime mulieribus ineptiſſima pigmentorum deformitas. Quæ eſſe debent, ut matronæ illæ ſpirituales, ſobrio decore laudabiles, nec conquiſitis figmentis circa faciē vultuoſæ, verum ſimplici quadam comitate prænitentes. Sicut ſacris etiam ſcriptis in noſtra Repub. docuimus. Canit inſuper Martialis:

Bella es, novimus, & puella, verum eſt.
Et dives, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Etenim ſolent ſuperbire puellæ ex forma egregia decoraque, tum aliis. De quibus puellis vulgo dicitur proverbium: Bella eſt? Aliquis ei dixit: quæ quia ejuſmodi decore, vel nativo, vel ſanè ſæpius aſcititio, ſuperbiunt, ac utcunque ſuperbientes difficiles ſunt, & minus amabiles: ideoq; canit Horatius:

Parabilem amo Venerem facilemque,
Candidaque rectaque ſit, munda hactenus, ut neq; longa,
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.

Quando, & ut habet Propertius:

Nudus amor formæ non amat artificē.

Idcir-

Idcirco & memorabiliter Ovidius:
Munditiis capimur. (inquit:
Mundities certe crimina nulla meret.
Et non cessuri, nisi diis, sine crimine mores,
Nudaq; simplicitas purpureusq; pudor,
Prima sit in vobis morum tutela: puellæ,
Ingenio facili conciliante, placent.
Certus amor morum est: formam populabitur ætas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum,
Perq; suos annos hinc bene pẽdet amor.
Discite, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Quinetiam meretrix, Anterastilis nomine, apud Plautum: bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo mavolo. Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum. Bonam ego quàm beatam me esse nimium dici mavolo. Meretricem pudorem gerere magis decet, quam purpuram.

Magis

Magis quidem meretricem pudorē, quam aurum gerere condecet. Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno colluunt. Quod si etiam in meretrice ergo obtinet, quam decet matronam cum simplicitate pudor, magis quam cultus? qui, licet voluptas spectetur, magis contemnitur etiam in meretrice sola forma petita, nihil vestimentorum indiga; præeminens, ac secum etiam certans. Quemadmodum ejus, cujus scribit in Statii Thebaida Lactantius, nudati corporis membrorum pulchritudinem venustatem vultus obnubilare. Cujusmodi, ut in Troade inquit Seneca, magis quā solito splendet extremus decor. Vt esse Phœbi dulcius lumen solet, jamiam cadentis, astra cum repetunt vices. Ait namque Scapha ancilla apud Plautum: purpura ætate occultanda est. Hoc est, ut Baptista Pius interpretatur, purpura & ornamenta pretiosa occultanda sunt ætate iuvenili scilicet & teneriuscula. Ita sit exquisita forma, ut radiis illius occultetur, delitescat & contemnatur ipsa purpura, & quodvis aliud ornamentum. Aitque idem Plautus, aurū turpe

turpe mulieri. Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata, pulchrior. Rursum postea, Nequicquam exornata? Bene si morata est, male. Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt. Nam næ si pulchra est, nimis ornata est. Quid opus est quod suum esse nolit te ultro ostentarier? Namque personam sibi volunt amantes, quam amant, vel nudam, non ornamenta. Adhæc pulchre cecinit Iovius Pontanus:

- - - - - Fuge candida luxum.
Munditiis capitur delitiosus amor.
Luxus obest formæ, forma est contenta pudore.
Ipse pudor veri jura decoris habet.
Simplicitas nam culta sat est. Tu lux mea cultum
Effuge. Bella quidem simplicitate tua es.

Verum luxu etiam ineptos corporis motus, gestus & habitus penitus secludimus. Cuiusmodi tussis illa delicatula, spõtanea omnino, qua domicellæ istæ æstimatiores utuntur, præcipue quæ pulchræ nõ sunt: ut nescio quã ridicula opinione fœditas earum carae adumbretur. In quarum amatores

appositum est epigramma illud Valerij:

Petit Gemellus nuptias Maronillæ:
Et cupit, & instat, & precatur & donat.
Adeo ne pulchra est? imo fœdius nihil est.
Quid ergo illa appetitur, & placet? tussis.

Quanquam & dici possit non ineleganter, nuptias Maronillæ fœminæ divitis peti propter vicinam ex tussi sive tabe moram.

Præterea vero Lucianus in imaginibus, formosissimam describens mulierem, etiam ait, morum suavitatem, humanitatem, animi magnitudinē, modestiam, & pudicitiam, digna esse, quæ modis omnibus corporis dotibus anteferantur, sicut ipsius corporis dotes externo cultui: quoniam plane absurdum foret atque factu ridiculum, si quis vestitus cultum atq; munditiem prę corpore admiraretur. Demum verò eam omnibus numeris absolutam pulchritudinem esse censuit, quoties in idem concurrunt anima exculta virtutibus, & corpus amabili forma exornatum. Scribit autem B. Ambrosius, uxoris decorem non magnopere quærere nos decere, quæ

viro necem plerumque gignere solet. Quapropter sancti illi patres Abraham & Isaac cum ad alienos divertissent, cum uxoribus peregrinantes pulcherrimis, timuerunt propter illas occidi, ideoque uterque de uxore sua dixisse legitur, אחותי היא. Inde etiam notat Gulielmus a monte Lauduno, prævalere quod bonum est, eo, quod pulchrum est. Illud quod non semper in uxoribus quæritur. Ex quo frequenter tristes sequuntur exitus. Atque non ab re, sed durius, Plautus: forma mala matrem esse addecet familias. Neq; enim quærenda est uxor pulcherrima, quæ communis, neque deformissima quæ pœna, sed stata, hoc est media forma, revera uxoria, quæ utilitati & consolationi justæ ac securæ sit futura, uti profana juxtaq; sacra multis monumenta docent. Mulieri similiter vir quoque quæratur, quantum fieri potest coævus, præcipue bene valens corpore, & ætate non gravi & caduca. Quod lege Longobardica præceptum: & valde admodum contendit Erasmus in colloquiis, pulchre inquiens: impar conjugium, quasi gemmã inseras plumbo.

i. e. Soror mea est.

In cle. I. verbo. coloris. de stat. mon.

L. illud. de prohi. nup.

bo. Vetus Solonis ſententia ita ab Auſonio ſcripta: par pari, jugato conjunx, quod impar eſt, diſſidet. Et Vultejus cecinit:

Namque anus annoſum, juvenis quæritque puellam.
Iunge pares paribus, res erit æqua Venus.

Et Corn. Gallus:

Par ætas animos conciliare ſolet.

Et Venus quidem ætate tantum florentum eſt, ut adnotavimus ſupra, & Galenus plane ſcribit, & late Plato deſcribit in Timæo, inquiens: Sperma, utpote animatum ac reſpirans, qua parte ſpirat, per eandem vitale effluendi deſiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inſeruit. Quocirca pudendorum naturæ in viris inſita vis inobediens, atque imperioſa, & quaſi animal, non exaudiens rationem, furioſarum libidinum violentia ſubjicere ſibi cuncta conatur. Vulva quoque matrixq; in fœminis, eadem ratione animal avidum generandi, quando procul à fœtu per ætatis florem, aut ultra diutius detinetur, ægre fert moram, ac plurimum indignatur, paſſimq; per corpus ob-

errans meatus, ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtiis, moribus denique omnibus premit, quouſque utrorumque Cupido amorq; quaſi ex arboribus fœtum fructumve producit. Neç ab re eſt illud Peripateticorum principis, dicentis, mulierem appetere virum ſicut materia formam. Et quod notat Cynus, tantum appetitum virilis amplexus cum pubertate creſcere in puellis, ut ſit furori ſimilis. Quo quidẽ, ut par eſt, vacant ſenes. Sicuti teſtatus eſt Sophocles Poëta. Qui ſenex exiſtens cũ interrogaretur, quomodo ſe haberet ad Venerem & num adhuc poſſet mulieri cõmiſceri, reſpondit, Εὐφήμει, ὦ ἄνθρωπε. ἀσμενέστατα μέν τοι αὐτὸ ἀποφυγών. παντάπασι γὰρ τῶν γε τοιούτων ἐν τῷ γήρᾳ πολλὴ εἰρήνη γίνεται, καὶ ἐλευθερία. inquit Plato. Quod & Flaccus perhibet, ita canens:

In l. cura torem de interdic. mat. C.

Id est. Bona verba ô homo. lubentiſsime enim hæc fugio. Horũ enim omnimodo in ſeneƈtute magna quies & libertas eſt.

Fugit retro levis juventa & decor,
Arida pellente laſcivos amores
Canitie, facilemq; ſomnum.

At in his malit ſibi quiſq;, prudenter tamen & cum charitate vera, quod eſt optimum, quam alteri, juxta id quod vulgo dici ſolere Byria dicit Teren-

rentianus, omnes sibi melius esse malle, quam alteri. Et docent Pragmatici nostri ex Claudii principis rescripto, agris nostris sitientibus præstare illos, quam alios irrigari. Optimum autem est aliquando seni ducere juvenem uxorem. Quemadmodum Davidi narrat scriptura quæsitam adolescentulam virginem, quæ staret coram eo, & foveret eum, dormiretque in sinu suo, & calefaceret ipsum, nimium præ senio frigescentē. Quod passim, ut apparet, non faciendum. Omnino autem, cui cordi est non cęlibem ducere vitam, haudquaquam id differat in annosam ætatem. Sed quemadmodum docet Hesiodus:

L. præses de servit. & aq. C.

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων,
Μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.
Ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβώη, πέμπτῳ δὲ γαμοῖτο.
Παρθενικὴν δὲ γαμεῖν, ὥς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

i. e. Tempestive autem uxorem domum tuam ducito,
Neq; multa à trigintum annis, deficiens,
Neque multum superans. Nuptiæ vero hæ erunt tempestivæ.
Mulier autem quarto supra decimum

annum pubescat, quinto nubat.
Virginem vero ducito, ut mores castos doceas.

Hocque maxime, si verum est quod Beatus Antoninus scripsit, hisce temporibus parentes, quia rudes sunt & parum Deum timentes, nec filios nec filias scire per se erudire, ac ne quidẽ mittere eos ad verbi divini prædicationem audiendam. Moratur, inquit, puella in domo, nunquam audit verbum Dei, & sicut bestia accedit ad conjugium, ut bestia se habet in conjugio. Tum pluribus rationibus, melius est homini, etiam qui plures alias habuit uxores, virginem & juvenculam ducere: videlicet, ut totum omnino ejus amorem nullo pacto invisum habeat, & magis alioquin clarum ac gratum. Solent enim mulieres chariores habere, quibus prius junctæ sunt, ut multis tradit Fran-
Lib.1.c.5 ciscus Barbarus, tractatu specialiter edito de re uxoria. Et iuxta hæc sic canit Vulteius:

Nemo fuit prima sic inflãmatus amica,
Quanto Vultejus captus amore tui est.

Habetque vulgare proverbium, primas offas amoresque primos melio-

res.

res esse. Magis enim se unicis viris applicant fœminæ, & nihil aliud nosse; magnum arctioris indulgentiæ vinculum est, ait D. Hieronymus. Nec ab re cecinit Catullus:

Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam:
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iamiam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci.
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci,
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit,
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Chara viro magis, & minus est invisa parenti.

Præterea vero juvenes & tenellæ virgunculæ, nullius alterius votis assuetæ, sine vitiis, sine ineptiis, facile adaptantur suis cujusque moribus. Neq;

ideo formidandum, quin ita robusti ex eiusmodi coniuge suscipiantur ut ex alia provectiori liberi. Qua in re Philelphus malle se sequi Romanos, quam Lacedæmonios, inquit. Lacedæmonii enim, quoniam rei bellicæ equestrique studebant, uxores ducebant triginta natas annos, aut etiam grandiores. Nam putabant robustiores partus gigni ex talibus. At Romani, qui nulla re Lacedæmoniis fuerunt inferiores, quæ duodecim complesset annos, nubilem esse dixerunt. Nimirum cum iam talis viri potens sit natura, quæ nihil frustra agens, semper rei melioris autor est, quoad eius fieri potest, ut Aristoteles dixit. Sicque ætatem eiusmodi admodum facilem, quæ viri ingenio ac moribus accommodaretur, arbitrati sunt veteres illi, partus autem robustitatem in nutrimento & intima vi naturæ, pro horoscopi (quod Astronomi vocant) syderis influxu, non in gignentium annis positam esse, ut tradidit quidem Philelphus, censens idcirco etiam, posteriores uxores virgines & puellas satius esse ducere. Quod & ipse in duabus uxoribus fecit: & dicit,

se idem

se idem fuisse facturũ, si tertio nubendum esset. Hæcque fuit primum sententia Hesiodi Græce iam superius à nobis relata. Quam & ipse probat Aristoteles, inquiens: Rectè se habet illud Hesiodi: puellam uxorem accipere oportet. Vt gratis moribus eam imbuere possis. Diversitates enim morum nequaquam sunt ad dilectionem aptæ. Verum ait, Viro generare potente, si mulier ipsa concipere non potest, vel muliere quidem ad concipiendum apta, si vir ipse non possit generare, lites & discordiæ inter eos oriuntur. Igitur cum sit finis gignendi viris, ut plurimum, septuagesimus annus, fœminis autem quinquagesimus, ita coniungendi ab initio sunt vir & uxor, ut ætatibus ad hunc finem concurrant. Puellas circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradere congruit: masculos autem circiter ætatem triginta sex annorum. In hoc enim tempore vigentibus corporibus coniungentur, ac procedente tempore simul apte desinent procreare. Neque enim hic censet etiam si naturale robur spectes, prorsus negligendam provectiorem ætatem. Est, inquit,

adolescentum coniunctio improba ad liberorum generationem. In cunctis enim animalibus iuveniles partus imperfecti sunt & fœminæ crebrius quam mares, ac pusilla hominum corpora existunt. Masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc augente semine illud emittat, in partu laborant magis puellæ, ac pereunt plures. Ad continentiam utile est nuptias fieri seriores. intemperantiores enim esse videntur, cum puellæ Veneri assuescunt. Ad quod respexisse videtur Ovidius, cum dixit:

Quæ venit exacto tēpore, peius amat.
Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue rosā.

Ob idque, cum continentia maximi semper fiat in muliere, & prima quæque magni momenti sint, tempus anni serius, id est per hyemem, dixisse videtur Aristoteles aptius ad nuptias, non aliud, & maxime illi contrarium prorsus æstatis tempus. Quo quidem, ut expressit Hesiodus,

Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δὲ τοι ἄνδρες
Εἰσὶν, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα σείριος ἄζει.

i. e. Salatissima autem sunt mulieres;
viri vero maxime debiles
Existunt, quando caput & genua Sirius
exiccat.

Cæterum, nuptiarum opportunum tempus faciat in primis damni præcipua animæ cautio: secundum ea, quæ diximus latius in nostra Repub. Sit autem omnino in viro probitas, & quantum fieri poterit eruditio & peritia. De quo dici posset illud Ovi.

Qui te genuere, beati,
Et mater felix, & fortunata profecto;
Si qua tibi soror est, & quæ dedit ubera
nutrix:
Sed longe cunctis longeq; beatior illa est,
Si qua tibi sponsa est, si quam dignabere
tæda.

Da inquiunt, sacræ literæ; filiam homini cordato, & grande opus feceris. quod vult etiam vulgi proverbium dicentis: Homini des tuam, non agro seu vineæ, gnatam. Hominem autem hic vulgus minime intelligit; sed qualem quærebat Diogenes ille Cynicus, nec inveniebat, cum meridie lucernã gestans obambularet per forum hominibus differtũ: & alias cum ex editiore loco homines convocas-

ſet, & infinitis propè ſeptus, quaſi nullus adeſſet, magis clamaret: Adeſte homines. Sic patrem meum virum ſingularem ſæpe queri audio, quod non videat homines. Et ego, tantulus licet, ut verum eloquar, quoties inter homines venio, & turbam contemplor, videre videor roſtra Romanorum referta ſtatuis, & vix aliquem reperio, qui non ſtatua vel imago elegans quidem & polita, vel adhuc imago imaginis, ut de Rufo Rhetore Auſonius ait, magis, quam homo videatur. Qualis eſt revera tantum, quem diximus: quales & cæteros omnes pudere deberet maxime non eſſe, quantum fieri poteſt: quibus eædem & ſæpius maiores quodãmodo contigerunt intimæ atque extimæ facultates. Inſuper, uti ait D. Gregorius, omnis electus, & in via Domini perfectus, & homo, & vitulus, & leo ſimul, & aquila eſt. Omnis enim, qui in ratione perfectus eſt, homo eſt: quoniam ſemetipſum ab huius ſeculi voluptatẽ mortificat, vitulus eſt: quia vero ipſa ſua ſpontanea mortificatione contra adverſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, leo eſt: quia
vero

vero ſublimiter contemplatur ea, quę cæleſtia & æterna ſunt, aquila eſt. Hic eſt autem excellenter Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, homo, ac primum ſemperque Deus. Qui dicitur à Moſe ſicut aquila provocans ad volandum, à Ioanne leo de tribu Iuda, à Luca vitulus ſaginatus, & per Pilatum ceu per Caipham, vel Aſinam Balaam, homo, ubi eum oſtendens pro nobis percuſſum, dixit Iudæis, hominibus nihili: Ecce homo. Quippe cujus ad imaginem reliqui facti ſunt, ut nos alibi fuſe docuimus. Qui, inquam, ubi quæ Dei ſunt negligunt, ratione, tanquam ea carentes, non utuntur, magis videntur belluæ. Et quemadmodum ſcripſit Sidonius, quanto antecellunt belluis homines, tanto anteſtāt ruſticis inſtituti. Quod jam diximus & denotatum à Tullio. Etiam adnotat Barbatia. Ignari prorſus non merentur dici homines, ſed imagines hominum. Ignatos hic maxime accipimus, non tantum literas neſcientes, ſed qui etiam nullius ingenii, nullius vivacitatis & induſtriæ ſufficientes ſunt, inutiles fungi, & blitei, inde vulgo belitres; potiſſimum ſi his

In l. ſi quis. de pœ.

In c. ſciſcitatus, de reſcrip.

ſi his accedat fere conſueta nequitia & contumacia. Vnde מורדין Chaldaica, & primum Hebræa tandemque vulgari proxima voce dicuntur: hís certe mulieres committendæ non ſunt, cum ipſi potius aliquo egeant, cui committantur. Quemadmodum etiam cenſet mulier Apophradis apud Lucianum, inquiens: Haudquaquam virum eum accepero, qui ipſe quoq; indiget viro. Niſi forſan ſimiles ſint mulieres illis, quia ſimilibus conjungendæ viris, juxta proverbium, quod habet, Melius eſſe unam domum, quam plures talibus impeditã: quando & teſtatur Homerus, valde omnino malum, ducere, ſcilicet malum. Quibus etiam nequicquam aliquando convenit. Vnde Martialis ad quoſdam ejuſmodi inquit:

Cum ſitis ſimiles, paresque vita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Itaq; ſint illæ mariti dotes, quantum fieri poſſit, probitas, inquam; eruditio, peritia, ceu antidos quædam & donatio propter nuptias, & ſi quid eſt ſimile, quod vulgo in matrimoniis exigatur. Nec aliud quicquam anxius

cure-

curetur, veluti ne peregrinus ſit vir, ne minor dignitate ſeculi. Et ſint talia quoq; in fœmina, dos ſatisfaciens vice vulgaris, quæ veram hanc ſolet excludere ſive labefactare, veluti alia ambitioſius quæſita: videlicet, ut majori vel pari omnino dignatione ſit vulgo, magis, quam ut proborum, etiam inferiorum parentum ſit. Quod tamen eſt præcipue, cum prædictis curandum, ut, quod ait Flaccus, invenias bene mutuis fidum pectus amoribus. Adhæc legimus apud Herodianum, Antoninum imperatorē, cognomine Philoſophum, filias, cum adoleviſſent, optimis ex ordine ſenatorio viris collocaſſe. Neque enim qui longam generis ſeriem præferrent, aut qui opes nimias oſtentarent, ut Lucianicus Leucanoris, ſed qui morum probitate atque modeſtia vitæque innocentia præcellerent, eos ſibi generos diligendos putabat. Hęc enim ſola animi bona certa eſſe ſtabiliaque arbitrabatur. Nempe, ut cecinit etiam Philippus Beroaldus:

Vera hac nobilitas non eſt in ſtemmate longo,
Non in ceroſis eſt ſita imaginibus.

Una

Vna est cunctorum prima & genialis origo,
Omnibus est genitor Iuppiter, estque Deus.
Sola facit virtus generosum, sola beatũ,
Sola potest mentes demeruisse probas.
Vera hæc nobilitas non paupertate fugatur.
Fortunæ virtus succubuisse nequit.

Item narrat Lucianus, cum Aetion pictor Roxanis & Alexandri depictas in tabula nuptias in Olympia pertulisset, ac imaginẽ spectandam ostentasset, Proxenidem, quem tunc certaminum judicem Græci constituerant, artis præstantia delectatum, Aetionem peregrinum generum sibi asciviſſe. Et canit Seneca Tragœdus:

Conjunx modico nupta marito,
Non dispoſito clara monili,
Gestat pelagi dona rubentis.
Male pensantur magna ruinis.

Equidem, ut beatus ait Ambrosius, nubens ad servitutem, pecunia sua venditur. Meliori conditione conjugia, quam mancipia comparantur. In illis meritum emitur servitutis, in istis pretium servitutis additur. Et perhibetur dixisse divina Eugenia, maritũ non

non natalibus, ſed moribus eligendum. Porro ſcripſit Capitolinus, Imperatorem Gordianum, adoleſcentem, prius quam ad bellum proficiſceretur, duxiſſe uxorem, filiam Miſithei, doctiſſimi viri: quem cauſa eloquentiæ ſuæ dignum parentela ſua putavit. Tradit quadam homilia in euangeliũ Matthæi B. Chryſoſtomus, quod bene morata & parentibus bonis orta quærenda ſit uxor. Et Hieronymus perbonus, quod dos eſt magna parentũ virtus. Canit Euripides: 46. primæ cap.

Felices quibus obtigit,
Sors nec ſumma nec infima, ſed ſane media, & quibus,
Caſtos annuit aurea nanciſci thalamos Venus
Tranquillaque perenniter conſuetudine perfrui.
Quorum pectora mutuis flagrant incita flammulis.

Canit & Petrarcha:

Quiſquis amore voles ſolido tranquillus & alta
Pace frui, maiora fuge, & nimis alta caveto,
Illic contẽptus, & jurgia miſta querelis,
Atraque perpetuis bacchantur nubila ventis.

Quin-

Qin etiam vitare pares, licet obstrepat error
Pulicus, admoneo. Fidum tibi junge minoris,
Pectus: ubi obsequium pernox, humilesque vicissim
Blanditiæ, dulcisque timor: res cognita paucis.

Quin Plato, qui, inquit, ex bonis parentibus ortus est, eas nuptias sequi debet, quas prudentes viri honestas ducunt, qui sane monebunt, nec pauperum fugere, nec divitum affinitatem sectari, præcipue oportere, sed cæteris paribus pauperiorem semper honorare, cumque ipso societatem inire. Nam & civitati & familiis, quæ conjunguntur id conducit. Quippe, quod moderatum est & mediocre, immoderato & excedente mirum in modum ad virtutem præstat. Etenim singuli semper ad sibi similimum natura feruntur. Vnde civitas tota & divitiis & moribus inæqualis quam maxime redditur. Ex quibus quæ minime nobis evenire vellemus, maxime civitatibus plurimis accidunt. Ad idem Plautinus Megadorus dicebat: Nam meo quidem animo, siquidem

dem faciant cæteri opulentorum, pauperum filias ut indotatas ducant uxores domum, & multo fiet civitas concordior, & invidia minore nos utemur, quam utimur, & illæ malam rem metuant, quam metuunt magis, & nos minore ſumptu ſimus, quam ſumus. Et tandem inquit: Nulla ergo dicat: equidem dotem ad te attuli majorem multo, quam tibi erat pecunia. Nam quæ indotata eſt, ea eſt in poteſtate viri, dotatæ mactant & malo & damno viros. Quanquam Euclio contra, itidẽ ſcilicet Plautinus, id vel parentibus ejus, quæ nupſit diviti, contendit eſſe periculo, inquiens: Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem divitem, factioſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum. Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit, te bovem eſſe, & me eſſe aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem, & te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat, neutrobi habeam ſtabile ſtabulum: ſi quid divortii fiet, aſini me mordicus ſcindant, boves incurſent cornibus. Hoc magnum eſt periculum, me ab aſinis ad boves tranſcendere.

Quod

Quod tamen vitabitur, ſi vel divitem eligat parens, ut præmonuimus, in primis qui bene moratus ſit, & qui vere poſſit dicere id, quod dicentem facit illum ipſum Megadorum Plautus: Ego virtute Deûm & majorum noſtrorum dives ſum ſatis. dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis. Adhæc Martialis ait:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quaritis? uxori nubere nolo mea.
Inferior matrona ſuo ſit Priſce marito.
Non aliter fiunt fœmina virq; pares.

Cum igitur æqualem mulierem inquirendam ait proverbium, intellige inferiorem, ut ſit æqualis inde, non ex æquali ſuperior, vel dote: qua deliniti ultro etiam uxoribus ancillantur, ut Titinnius ait. Item Alcmena apud Plautum ad Amphitruonem maritum: Non ego illam dotem duco eſſe quæ dos dicitur, ſed pudicitiã & pudorem, & ſedatam cupidinem, Deûm metum, parentum amorem, & cognatorum concordiam: tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis. Et Flaccus:

Dos eſt magna parentum
Virtus: & metuens alterius viri,

Certo

Certo fœdere, castitas, & peccare,
Aut pretium mori.
Apud Scythas matre carentibus, privignis, mulier temperat innocens, nec dotata regit virum conjunx, nec nitido fidit adultero. Idem alibi: Probamque pauperiem sine dote quæro, ait. Scilicet ut vel sic sit sine lite dies conjugibus, contra proverbiū, quod habet, Eum, qui non litigat, cælibem esse; cum uxoribus certe litem semper & jurgium esse maritis, declarans. Quod interpretantur esse propter dotem. Quam, quantam potest nemo, non expetit præ rebus aliis. Vnde adagio perpetuo locus datus. Sed & M. Cato Censorius uxorem habuit Actoriam Paulam humili loco natā, violentam, impotentem, ipsiq; Catoni superbam. Hoc ideo dictum, ne quis putet, si pauperem duxerit, eo satis se concordiæ providisse. Ergo si domus communis mariti, & uxoris, erigit uxorem in superbiam, & contumeliam viro facit ideo uxor, quanto magis si ditior uxor fuerit, & in domo ejus vir manserit? incipit enim non uxor esse, sed domina, & viro, si offenderit eam, migrandum est: uti
scripsit

scripsit D.Hieron. Vnde si tali uxori maritus illud vulgare adagii vice usurpatum objiciat, minime debere canere gallinam ubi gallus est, continuo audiet, imo debere in sua cohorte, & jugo proprio. Superest igitur, si quis cum Biante quærat Ausonii:

Qua dos matronis pulcherrima?

Vita pudica, respondendum. Hæc sane si adsit, absit quæ hujus comites humilitatem & modestiam frangat, miraculum non erit quod clamat relatum ἐν τοῖς παρέργοις ab Alciato epitaphium, virum & uxorem non litigare. Nisi quod natura, quoniam sumus filii iræ, ipsa communio parit discordiam etiam inter perfectos & sanctos, ut vel beatorum Pauli ac Barnabæ monstrat dissensio apud Lucam scripta, & suspicio, quam de intemerata Deipara conjuge habuit Ioseph justus, donec illi ab angelo est denuntiatum. Sed & hæc facit ad victoriam pugna; operante DEO, qui novit suos de tentatione eripere, necnon adferre cum ipsa proventum, exque omnibus bonum, quod vult solum, efficere. Cæterum, qui dotem malunt,

lunt, monet Petrarcha, ut non quanta sit, sed qualis, existiment, unde scilicet profecta, quibus parta modis. Magnæ dotes malis artibus sunt quęsitæ, præsertim eo quod omnes malunt quam dotem violatam. Pœnorũ & Hieropolitanorum mores nosti: quorum nuptiis non pietate parta, sed stupris & dedecore dos constabat. In quorũ civitate Constantinus Imperator destructo Veneris templo, primum apud eos construxit ecclesiam, & consuetas fornicationes lege prohibuit exerceri, ut autor est Socrates sacer. Sunt & forsan nonnullæ ubique hoc tempore, maxime vero in maximis urbibus, quæ nonnunquam vel imprudenti parentum lenocinio impudicæ, magnas pecunias & pretiosa quæque adferunt marito, at virginitatem minime. Longissime enim, ut vulgo ajunt, distare potest, si ab eo tempore, quo amiserunt eam, cucurrit. Chara autem nihilominus talis viro esse quæ potest? quando & cæteris, qui eam norant, odiosa est, eique qui ejus pudicitiam læsit, antea licet amabilis & grata. Certe quemadmodum canit Catullus:

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ver, educat imber;
Multi illũ pueri multæ optavere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tum chara ſuis. ſed
Cum ſemel amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.

Et Vultejus:

O violata vale, vale ô violata. placebas
Inviolata: noces nunc violata mihi.

Notumque illud quod in libris Regũ legitur, cum Ammon filius David ſororem Thamar oppreſſiſſet, habuit eam exoſam odio magno nimis, ita ut majus eſſet odium illud amore, quo antea dilexerat. Quod & generaliter in hiſce omnibus ut plurimum accidit, quibuſcum peccatur, ut quodammodo quidem peccantes, hoc eſt libidinem agentes ſuam, ament ipſas mulieres, deinde vero execrentur, neque ſatis unquam mundæ habeantur, vel placeant: ut à pleriſque relatum accepimus, & teſtificatur Plautus inquiens: Nam ita eſt ingenium muliebre. Bene cum lauta eſt, terſa,

tersa, ornata, ficta est, infecta est tamen. Nimioque sibi mulier meretrix reperit odium ocius sua immunditia, quam in perpetuum ut placeat munditia sua. Ad id respexit quoque alter Mantuanus, cum dixit:

Sed nullum est tam immane genus, tam barbara nusquam
Gens, quæ fœmineos non execretur amores.

Porro vero ut dixit etiam Marchio Perbonus, post pudicitiam pulchra dos pecunia est. Quam immodicam esse nō debere docet Ausonius aiens: Sæpe in coniugibus fit noxia si nimia est dos. Ac ne quia turpem seu vetulam duxeris uxorem, ideo putes minus noxiam dotem multam, scriptum est illud à Menandro:

Οἴμοι Κλεωβούλην λαβεῖν ἐμὲ, καὶ δέκα τάλαντα,
Γύναιον οὖσαν πηχέως. ὅστ' ἐστὶ τὸ φρύαγμα
Εἴπως ἀνυπόστατον.

Me miserum qui Cleobulam duxi & talenta decem,
Cum mulier sit cubitalis, cujus arrogantia
Non est ferenda.

Et rursum illud:

Ἐγὼ δ' ἐπίκληρον λαμίαν οὐκ εἴρηκά σοι.
Τοῦτ' οὐχί; κυρίαν τῆς οἰκίας, καὶ τῶν ἀγρῶν,

Καὶ πάντων ἀντ' ἐκείνης ἔχομεν ἀφ' ὅλων χαλε-
πῶν
χαλεπώτατον. &c.

Lamiam hæreditariam duxi, quod non dixi tibi,
Tum vero domus, atq; agrorum heram,
Et omnium præ illa habemus difficilium
Difficillimum.

Cæterum ne inops inopem videlicet uxorem ducat, nisi velit hic esse miserrimus, admonetur egregiè, illo eodem Menandro ita habente,

Ὦ τρὶς κακοδαίμων ὅστις ὢν πένης γαμεῖ,
Καὶ παιδοποιεῖ. ὡς ἀλόγιστος ἐστ' ἀνήρ.
Ὃς μήτε φυλακὴν τῶν ἀναγκαίων ἔχει,
Εἰ μήτ' ἀτυχήσῃ εἰς τὰ κοινὰ τοῦ βίου.
Οὐκ ἀμφιέσασθαι δύναται τοῦτο χρήμασιν.
Ἀλλ' ἐν ἀνακατακύπτῳ καὶ ταλαιπώρῳ βίῳ,
Χειμαζόμενος ζῇ τῷ μὲν, ἀντιαρεῖν δ' ἔχων τὸ μέρος,
Ἁπάντων ἀγαθῶν οὐ δυνάμενος.
Ὑπὲρ γὰρ ἑνὸς τὰ λέγων, ἅπαντας νουθετῶ.

O extreme infelix, qui pauper uxorem ducit,
Et liberos quærit! quam rationis expers ille est!
Qui nec necessariorum studium verum gerit,
Nisi ut statim impēdat in cōmunia vitæ,
Vestire se nequit suis facultatibus,
Sed ærumnosam atque infelicem vitam trahit, Hye-

Hyemem tolerans male miseria omnis socius,
Bonorumq; universorũ insors ac carens.
Unum equidem opprobrans, cunctos monitos volo.

Cap. III.

Cujusmodi uxor & vir quomodo quærendi.

PORro quam diximus, uxor quæri debet à viro amante, & desiderante prudenter, constanter, sapienterq; ajunt vulgares bona calceorum paria deteri oportere in tractando & conciliando conjugio. quod tamen si fieri debet, factum est in cœlo pridẽ. Id quod etiam Marchio Perbonus expressit, & dixit, matrimonia à Deo pendere. Et non ab re vulgus ipsum ait, amorem vel odium, ubi seponit, non perspicere. In quo parum absimile est illud Quintiliani avi, esse quidem irrationabiles impetus animorum, quædam gratuita, ut vulgo vocantur, odia. Illud igitur obtineat, & cunctemur in ineundo connubio, eatenus, ut satis constare videatur utrique parti, quod scire sua interest.

Id enim quod perpetuo necesse futurum est, proculdubio haud temerè subiri debet, sed cum prudenti diligentique inquisitione & deliberatione. Vnde etiam melius putatur ex eadem civitate, cujus quis est, consortem sibi deligere, ex proverbio, quod habet: Ex vicino uxorem & equum cape, quo ejus noscas mores. Quod & ad mutuam benevolentiam conducere videtur. Et id Hieron. Xenophontis testatur, inquiens: Principio pulcherrimum esse videtur uxorem ducere, ex his, qui tum opibus, tum potentia præcellunt. Eaque res putatur adjungere, cum voluptate, nonnihil dignitatis, ei, qui duxit. Proximum est ex paribus uxorem adsciscere. Cæterum, qui ex inferioribus ducit, prorsus contemptus & inutilis habetur. At regi, nisi peregrinam ducat, ex inferioribus ducat necesse est. Vnde fit ut non admodum ad illum perveniat illud amabile, vigorque charitatis, quæ inter ejusdem civitatis conjuges intercedit. Vnde etiam inquit Hesiodus:

Τὴν δὲ μάλιστα γαμεῖν, ἥτις σέθεν ἐγγύθε ναίει,
Πάντα μάλ' ἀμφὶς ἰδὼν, μὴ γείτοσι χάρματα γήμῃς.

Οὐ

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο,
Δειπνολόχης, ἥγ' ἄνδρα καὶ ἴφθιμόν περ ἐόντα
Εὕει ἄτερ δαλοῦ, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

i.e. Eam vero potissimum uxorem ducito, quæ in vicinia tua habitat,
Omnia admodum dispiciens, ne viciniæ ludibria ducas.
Neque enim muliere quicquam vir sortitur melius
Bonâ, neq; mala gravius aliquid existit;
Comessatrice, quæ virum tametsi fortem
Torret sine face, & crudæ senectæ tradit.

Quibus multa etiam in sacris nota consona sunt. Itaque nihil est mirum, si juvenis sapiens desponsurus uxorem, cum interrogaretur de more, an eam vellet, quæ sibi præsentabatur, convertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid ut muti siletis? cur non Deum, ut me hodie adjuvet, oratis? si enim sternutantibus Deum adesse precamur, ubi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare debetis, cui tantum videtis imminere discrimen? Quod est in fabulis Laurentii Abstemii. Et quidem id perscite dictum, cum serio etiam in sacris omnino di-

catur, à Deo uxorem prudentem dari, ut dos à patre datur, vel alio scilicet homine. Et docent Theologi, Deo non nisi religiosè per exomologesin placato, ineundum fœdus matrimonii. Ideoque vix ulli unquam satis fidat vir ipse, in tanta, inquam, re. Sed per se, quantum ulla patietur commoditas, rem omnem intelligat, ipsumq; si opus videbitur, principem negotii, hoc est patrem, vel, si is desit, alium videlicet præcipuum majorum puellæ, ipse adeat, memor ejus quod verissime præsertim in his cecinit Poëta quidam Gallice:

Il n'est si bon, que de parler au maistre.

In c. quia col. 10. de elect. & similiter dixit quodam loco Baldus. Multis equidem cognitũ, quod adnotarunt plerique. pleraque in his etiam mendacia dici consuesse à tra-

L. quod si ff. de dolo. L. 1. tit. 7 l. 3. Theodosiani C. ctatoribus & proxenetis. In quos tamen actio de dolo competit, quos renuntios corruptos Valentiniani lex dicit. Novi ego quendam adolescentulum, accensum honesto amore puellæ inferioris ordinis. Qui cum multos rogasset familiares, ut rem omnem deferrent ad amatę pręcipuos, & celeriter conficerent, quia videbat singu-

singulares dotes puellæ animi & corporis à multis aliis expeti, & periculum esse in mora, (quod ajunt Iureconsulti) & damnum esse posse irreparabile, illi vero rogati ea in re proxenetæ esse familiares, incerta, varia & ambages multas renuntiarent, rem differentes, & magna subpetentes salaria, quæ neutiquam poterat ipse præstare amator infelix: impotente amore coactus est, animum sumens, parentem ipsius puellæ adloqui, virum ætate ac moribus gravissimum. Quid multa? facile expugnato patre desideratissimæ, sine sumptu, sine periculo, quam ocyssime potitus ea, ex infelici miseroque felix ac beatus factus est, ut sibi prorsus suavem mortalitatem partam esse arbitrari videretur cum Terentiano illo Pamphilo. Adeo valet in amore prudentia, fortitudo, audacia, & constantia. Sicuti Leonardus Aretinus dixit in oratione Heliogabalo tributa, Militat omnis amans, & habet Cupido sua castra, & ut frigidus miles secundum Cupidinis legem capite plecti debet, ita verecundus ignominiæ causa remitti. Et merito quidem al-

terum Cupido in castris suis exploratorem putavit esse, non militem, alterum arma, quibus congredi & adversarium superare possit, non habere. Exulet oportet omnis ineptus pudor, qui nihil aliud est, quã timiditas & sui ipsius diffidentia. Et Tibullus inquit, Fortes adjuvat ipsa Venus. Et Propertius:

Multum in amore fides, multum constantia prodest.
Venit post multos una serena dies.
Sæpe venit magno fœnore tardus amor. Ovidius:

Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci.
Tempore lenta pati frana docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur anulus usu.
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamẽ molli saxa cavantur aqua.

Et eo quidem amore amanti dictum intelligitur à Cicerone, & B Bernardo, Nihil difficile esse, pariterque à Vergilio illud:

Quid non speremus amantes?

Inconstantes autem amatores quales testa-

testatur Hippocrates Asianos esse, & qui facile ac sæpe ab amore unius ad alterius transferuntur, vulgari proverbio, amasij dicuntur undecim millium virginum. Quos memorans Ovidius, vitandos puellis denuntiat hisce versibus,

Sed vitate viros cultum formamque professos,
Quiq; suas ponunt in statione comas:
Quæ vobis dicunt, dixerũt mille puellis.
Errat, & in nulla sede moratur amor.

Hisque dici potest quod proverbio quoque dicitur, lanuginem non habiturum lapidem moveri solitum. Et morosos scilicet in hac re fore tandẽ, ut malum minusq; felix ineant conjugium, illud etiam vulgi admonet adagium, habens: Qui nimium inspiciendo cunctatur, impedicatur. Adeo modus in omnibus optimus. FAB. Sed quem narrasti nobis adolescentulum adeo in amore catum? GOD. Quem nisi nostrum Theophilum? FAB. O maximum amatorem! quoties audivi decantantem de amasia, quam amorabũndam suam Laberiano verbo inusitatius ficto ajebat, illa Maronis, Propertii, Tibullique carmina!

Dulcia amara prius fiet, & mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, & dextera lava,
Migrabunt casus aliena in corpora rerũ,
Quam tua de nostris emigret cura medullis.
Invideo vobis, ægre discetis amare.
O fortunati nimium multumq; beati,
In quibus illa pedis nivei vestigia ponet,
Aut roseis digitis viridẽ decerpserit uvã.
Hei malè tabescunt morientia membra dolore,
Et calor infuso decedit frigore mortis:
Quod mea non mecum domina est: non ulla puella
Doctior in terris fuit, ac formosior ulla.
Atque iterum:
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit,
Quam possim nostros alio transferre calores.
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero:
Mi neque amare aliam, neq; ab hac discedere fas est.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.
Una meos quoniam prædata est fœmina sensus,

Uxor

Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica
Semper amica mihi, semper & uxor erit.
Nã citius paterer caput hoc discere collo,
Quam possem nuptiæ perdere in ore faces.
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
Solus ero, siquidem non licet esse suum.
Sola puellarũ digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quicquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de littore conchas
Proximus aëreis colligit Indus aquis.
Atque ipse, ut verbis utar Cornelii;
Panditur & clauso sæpius ore furor.
Nam subito inficiens vultum pallorque ruborque,
Interdum certæ vocis habebat opus.
Nec minus ipsa suas prodebant somnia curas,
Somnia secreti non bene fida sui.
Nam cũ sopitos premerẽt oblivia sensus,
Confessa est facinus conscia lingua suum.
Candida clamabat, propera: cur candida cessas?

Ac quod cecinit Politianus:

Excipe, meque tuum memori ſub mente recondes;
Mutuaque alterius pectora ſervet amor.

Quicquid eſt pulchrum ac decens,
Puella ſola continens.

Neque his aliter adfectus erat, cum jam illa potitus eſſet, ſane eandem δάμαρτα habens alibi, ἀρτίγαμος quidem nec ſtudio literarum amabili incumbens. Toloſæ non poterat permanere quindecim dies quin ad illam volaret ardens, ut videret: nequicquam noctem, ſive imbrium ſive viæ & moleſtias & pericula faciens: omni tamen exemptus malo & gaudens ſemper revertebatur. In quo veros plane & adpoſitos videre licet hos verſus Propertii:

Quiſquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo ut noceat barbarus eſſe volet.
Luna miniſtrat iter, demonſtrant aſtra ſalebras.
Ipſe amor accenſas percutit ante faces.
Sæva canum rabies morſus avertit hianteis.

Huic

Huic generi quovis tēpore tuta via est.
Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes;
Scironis media si licet ire via.

GOD. At insaniora sunt illa & vehementiora, quam conveniat. FAB. Fateor. Nā & qui olim ejusmodi dixit Cornelius, id fatetur satis, inquiens:

Sæpe velut visæ lætabar imagine formæ,
Hærebatque animo nocte dieque meo.
O quoties demens, quoties sine mente putabar.
Nec puto, fallebar, nec bene sanus erā.

Nempe furore amoris vehementius nihil est, ut dixit Iustinianus. Ardet, & ardori non est modus: instat acutis amor stimulis, ait Mantuanus noster. Ac ut cecinit Vultejus, difficile est diligere & sapere. Anxia res amor, credula, timida, solicita, omnia circumspiciens, & vana etiam ac secura formidans, uti scripsit Petrarcha. Amor, inquit B. Bernardus, is est, qui omnem in se triumphans & captivans pudoris sensum, continentiæ modū, deliberationis consilium, totius modestiæ & oportunitatis neglectum quendam & quandam incuriam parit, & reverentiam nescit. Et B. Hierony-

ronymus, Hoc quippe, ait, habet impatiens amor, ut quæ desiderat, semper invenire se credat: ignorat siquidem judicium, ratione multoties caret, modum nescit, nec aliud cogitare potest; quam quod diligit. GOD. Ego vero & sapienter quæri volui uxorē. Nam si quis in his non sapiat, tum in se, tum in alios, in ipsamque dilectam ridicula sæpe admittet, & nonnunquam mala valde ac noxia. Amor certè etiam, ut dixit B. Bernardus, vinum est. Vini autem excellentiam bene temperati nemo nō novit ad bonum omne, contraque aliter quam decet sumpti, incommoda omnigena. Amore illo insipienti homo in se primum injurius est. Adeoque sibi sensum omnem aufert & potentiam, ut nihil utile omnino satis cogitare possit, faceréve, seu dicere, sed inane totum. Nonnunquam & in ægritudinem gravissimam incidit, mentis alienationem, mortem. Equidem, ut ait Ovidius:

Nec modus & requies nisi mors reperitur amoris.

Cæterum his consequens est, ut suos & sibi præcipue conjunctos dolore

lædat

lædat talis. Poteſt quoque fieri, ut in alterius damnum graviſſimum conſpiret, qui ſibi in aſſequendo quod optat, obſtaculo eſt, & necem inferat. Sed & ſervire amanti, ut Plautus habet, miſeria eſt: præſertim, qui quod amat, caret. Quod ipſum per ſe moroſitate magna admodum eſt grave, poteſt ipſi puellæ ejusque neceſſariis notam impudicitiæ inurere, & hinc mœrorem inferre, moleſtus, importunus, immodeſtus exiſtens multis modis, temeraria audacia. Quid enim non amor improbus audet, ut Naſo habet? & ultroneus ad domum eorum veniens inepte, ſicuti eſt in Rudente Plautino, & impudicum, & impudentem hominem addecet. Moleſtum ultro advenire ad alienam domum cui debeatur nihil. Cum enim domus tutiſſimum ſit, quod ait jus noſtrum, cujusque refugium, in ea, minime decet fruſtra aliquem convenire & inquietare, maxime virum mulierem. Cujus continuo læditur delicatiſſima fama, maxime ſi audacius quis domum ejus ingrediatur. Videtur enim eo quodam modo ſtatim ea, quaſi meretrice uti. Cujus domum

Bar. l. verũ de fur. ff. cot. in longo. r. de dep.

Const. Neapol. de vio. mer. il.

mum aut etiam alterius, in qua talis habitat, ſolet quis ingredi imperioſius, & jure poteſt: propria autoritate etiam eſtringens oſtium, invita nedũ illa, verum etiam domino domus, ut plures tradunt quidem. Sed contrarium docet Andreas Iſernus, belle certe lateq;. Adhæc refert Plutarchus procos quoſdam adeo de amata decertaſſe, ut utriſque eam rapere & habere ſibi contendentibus, puella ea inter eorum manus dilacerata ſit, & exanimata. Adeo, quod Naſo etiam dixit, nihil eſt quod non effræni captus amore auſit, quod ſcilicet poſſit notam peſſimam undequaq; inurere, & damnum quodvis adferre. Demum vero hic utile omnino atque obſervandum quod Biantis admonet dictum, Ne tantum] in amore progrediamur, ut ſi neceſſe fuerit, gradũ revocare nequeamus. Nam bonum eſt pauxillum amare, ſane inſane, non bonum eſt, ut Plautus ait. Recuſantem omnino recuſa & tu; dicens quod canit Gallus:

Salve ſancta, inquam, ſemperque intacta maneto,
Virginitas per me plena pudoris eris.

Nam

Nam qui amat cui odio ipſus eſt, bis facere ſtulte duco. Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam affert, inquit Parmeno Terentianus.

Sed modo dilectam ſcelus eſt odiſſe puellam,
Exitus ingeniis convenit iſte feris.

ut Ovidius ait. Unde reſoluta amicitia, jure non ſolvitur donatio quæ cauſa amicitiæ fuit facta: ut docet Baldus. Virginalis autem non eſt pudoris ſibi maritum quærere, ſive eligere, ne appetentiæ æſtimetur autor, ſi ipſa de nuptiis electionem ſibi vendicet. Expetita enim magis debet videri à viro, quam virum ipſa expetiſſe: ut B. Ambroſius inquit, quem retulit Gratianus. Relatuſque mos eſt Luſitanorum, ut apud eos dum ad virum profectura nova egredi vult nupta, ipſum limen tranſcendere ſua ſponte, aut veſtibulum tangere non videatur: ſed rapiatur, & quaſi invita è gremio & ſinu matris transferatur: videlicet non niſi coacta ſuos relinquens aut proprios lares exiens. Maxime vero, ubi delibandus flos maritalis eſt, invitam ingredi videri volunt, quo ipſum conjugiũ plus com-

In l. ſi mater. C. de don. ante nupt.

c. honorantur. 32. q. 2.

men-

mendet verecundia, proprer quam etiam naturale est mulieri tacere: ut notat Baldus. Idque in primis ad parentes attinet, deligere filię maritum. & ut Plautus habet, virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala, quæ præter sapiet, quam placet parentibus. Et Plato paterni officii esse scribit, ut moribus civium diligenter consideratis, idoneum, & sibi filium & filiæ sponsum deligat. Tum de matre Euripides: Cujus, ait, quæso matrem deceat eniti magis atque pro gnatæ salute? Deinceps puellæ propinquos de eligendo futuro marito consulere lex vult. Potest tamen mulier etiam virgo, cum eam multi petunt, quæ-rentibus suis quem mavult, & sibi magis convenire putat, designare expressim, pudenter reverenterque, ut lege expressum est. Et succedet illud Propertii, quod suavissime dici poterit à prædilecto:

Nel. in conjunctione.de nup.C.

L. 1. de nup. C.

L. in cōjunctione. cod. tit.

Cum te tam multi peterent, tu me una petisti.

Cæterum in copulandis nuptiis nec curatoris, qui solam rei familiaris sustinet administrationem, nec cognatorum, vel affinium ulla autoritas potest

test intervenire, sed spectanda est ejus voluntas, de cujus conjunctione tractatur: ut habet Gordiani rescriptum. l. 2. eo tit.
Nec committendum est sane, ut invita quenquam habeat quoquomodo. Etenim pejus tractata esse non potest, quam si eum virum tollat, quem ipsa non vult: ut est in lege Longobardica dictum. l. fin. tit. qual. mil. am. m. Ideo id semper & subtiliter omnique modo cum primis debent investigare parentes, vel maxime mater, quæ gnatis familiarior esse solet patre, præcipue filiabus, & similes alii, voluntatem inquam ipsius puellæ, causas & affectus omnino: ne quid invisum subeat in tanta re invita. Pessimum hoc quidem per se, sed quod etiam gignere solitum est multas & magnas molestias utrique parti. Idque caput maximum & præcipuum in matrimoniis esse nemo non amentissimus ignorat, desideriũ videlicet atque amorem mutuum, unam & consentientem voluntatem gravissimam efficientem. Et Plautus in Milite glorioso adnuit, amorem esse cultu optimum, cum amatur etjam is, qui amat, ab ea persona, quam amat. Aitque Plato in Lyside, nisi uter-

uterque diligat amicorum, neutrum esse censendum amicum. Illis autem seu parentibus seu similibus, nisi præsentibus, omnino inquam nihil amet puella, neque fidat cuiquam. Sicuti habet Plauti Curculio: semper curato ne sis intestabilis. Quod amas, ama testibus præsentibus. Nam & cum fratre jocantem vult curare ut testes adsint Hesiodus, adjiciens;

Πίστεις μὲν γάρ ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Fides enim simul & perfidia perdiderunt viros.

Inquit & Catullus:

Tum jam nulla viro juranti fœmina credat.
Nulla viri speret sermones esse fideles.
Qui, dum aliquid cupiens animus, prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Et alius: Eheu quid faciant dicant homines, cuive habeant fidẽ? Tum apud eundem: Certe tute jurabas animam tradere, me quoq; inducens in amorem,

rem, quasi tuta omnia mihi forent. Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque ventos irrita ferre ad nebulas aërias sinis. Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit fides, quæ te ut pœniteat postmodo facti faciet tui. Nempe hæc vox deceptæ mulieris conquerentis amatoris perfidiam; cujusmodi plures sunt hodie. Sunt & qui, ut arbitror, primum verè honesteque amantes captata occasione, astutia diaboli, in turpem tendentes libidinem, specie honesti, honestas, at minus quam oportet prudentes, veluti aves cassibus vel pisces hamo, capiunt mulierculas, postea nihil minus quam ipsas curantes, cōtemnentes, quin multa prædicatione infamantes, magis ipsi infames apud Deum & homines graves, abjectissimi, turpissimi scelestissimique, ac digni, qui à fœminis omnibus & cacodæmonibus conculcentur, atterantur, disperdantur, & invisissima quæque atq; extrema perferant, quæ non sunt omnino quæque corporis pœnæ, sed magis inferorum supplicia, ut & Plato testatur.

Cap. IIII.

De officio uxoris erga virum.

ILli autem viro, quem ſemel ſuſceperit mulier, fidat oportet. Conjunctio enim ejus cum viro, & viri cum ea, non poteſt eſſe jucunda, ſi neuter alteri fidat, ut Xenophon ait: quemadmodum nec hero famuli, nec famulo heri. Hunc timeat, revereatur, honoret, amet, ſoletur, non contriſtet ulla in re. Nempe hoc habet vulgare proverbium, maritus etſi nihil aliud, quam baculus ſit, hoc eſt, tam nihili, ut baculus videatur & ſtipes potius, quam homo, ac (quod alio proverbio dicitur) panis perditus, hoc eſt, cui fruſtra & indigne etiam ipſe panis & alimonia quævis ſuppetit, juxta etiam ſcripturas, in quibus appellatur perditio, qui nimis peccat, teſte B. Cyrillo in Leviticum, ac quod præcipuus Poëtarum inquit:

- - - *Telluris inutile pondus.*

Hujuſmodi etiam, inquam, maritum dominum haberi debere: ut qui reipſa dominus ejus uxoris quam habet,

bet, etiam si corporis animique optimis dotibus excellentissima, sit factus: estque imago Dei, non ipsa & caput ejus, ut docet Apostolus. Unde vates quidam vetus Gallicæ gentis ita inquit:

Dieu ha fait auecques nature,
L'homme discret, noble & sage,
Qui sur toute autre creature,
Est le plus parfait, & bien sage,
Duquel le feminin visage,
Est issu par sa noblesse,
Parquoy femme luy doit hommage,
Et garder qu'elle ne le blesse.

Adnotatur à B. Augustino modestia Deiparæ in eo, quod dixit, invento à se & Joseph sponso, filio Iesu Christo puero perdito: Pater tuus & ego dolentes quærebamus te; Non, Ego & pater tuus. Nec enim attendit sui uteri dignitatem, sed ordinem conjugalem. Namque caput mulieris virum esse sciebat. Quanto minus debent superbire cæteræ fœminę? quanquam huiusmodi ordinis honorem multis locis apud idoneos autores non servatum observare licet multa legentibus, ut laudandus qui servat, videatur, non utique, qui non servat,

con-

continuo vituperandus. In quo Lælius apud Ciceronem, Audite, inquit, quæ inter me & Scipionem. Et Plinius iunior, Ego, ait, & Cornelius Tacitus, quem tanquam rectorem & magistrum suspiciebat. Sed scilicet utique in sacris scripturis præcipue disces omnem modestiam: & in hoc præclare etiam sive Hieronymus sive Paulinus sacer, ad Cælantiam matronam scripsisse reperitur: Servetur in primis viro autoritas sua, totaque à te discat domus quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra. Tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Insuper Sedulius Scotus Hyberniensis in Paulum ad Ephesios ait, duas esse significantias in verbo timoris, unam, qua servi spiritum servitutis habent in timore, alteram, quæ pro reverentia dici potest, ut uxor revereatur virum suum. Vnde & Aristoteles dixit: Vir uxori metum non incutiat sine verecundia & pudore. Hæc enim meretrices ac mœchos pati decet. At verò cum verecundia & pudore iusta diligere & timere, id inge-

ingenuæ eſt mulieris erga proprium virum. Idem etiam, Decet, inquit, mulierem virum in honore habere, nec illum contemnere, ſi ſacra pudicitia & opes animoſitatis filiæ ſint ſecuturæ. Vlpianus ait cum Pomponio, non valere pactum, quod maritus fecit dotem uxoris recipiens: ut non in id quod facere poſſit conveniatur, ſed inſolidum, cum id contra bonos mores ſit: quippe cum contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda eſt, id eſſe adpareat. Egregie ad nuptam difficiliorem virginem cecinit C. Valerius, dicens: In l. alia sol. ma. ff

At tu ne pugna cum tali conjuge virgo,
Non æquum eſt pugnare, pater cui tradidit ipſe,
Ipſe pater cum matre, quibus parêre neneſſe eſt.
Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia ſola tua eſt. noli pugnare duobus,
Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.

Iratum autem maritum quibus modis placare debeat uxor, idem cum

Ovidio & Propertio expressit, cum ait:

Obsequio plurima vincit amor.

Alter ita:

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus.
Franges si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquæ, nec vincere possis,
Flumina si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium tygresque domat tumidosq; leones.

Alius ita:

Tantum in amore preces & benefacta valent.

Colligendum itaq;, placari maritum obsequio, precibus, benefactis. Et his scilicet frequentibus & assiduis. Nam ut Lucretius ait, consuetudo concinnat amorem. Non autem philtris scilicet mitigandus est vir. Quibus fœminæ pleræque etiam viros proprios imprudenter peremerunt. Qui casus singularis in iure traditur, in quo sine dolo homicidiū committens ultimo supplicio plecti debet. Ait & Naso:

Grillan. lib. de sortile. q. 12.

Sit procul omne nephas, ut ameris, amabilis esto.

Phil.

Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Ita nec donationibus aut dotis remissione aliqua, vir est conciliandus. hoc enim moribus est civilibus improbatum, venalem esse viri & uxoris concordiam; cum honestus amor solis animis æstimetur. Neq; leniendi sunt viri, quemadmodum male institutæ mulieres solent, frequentibus ad dicta irata responsionibus & superba cerebrositate. Quamobrem magis etiam exasperant eos, & nonnunquã potiora verbis facta, quasi post tonitrua, quod dicitur, pluvias merito cum malo suo sentiunt. Præterea vero iure potest revocare maritũ à pellicum consuetudine mulier commoda stipulatione. Ac (quod notatu dignum nominatim arbitratus est Baldus) in matrimoniis matrimonialiter conservandis pœna adponi potest. Cæterum (ut docet Plutarchus) modestam uxorem oportet cum viro existentem sese maxime videndam exhibere, & ad vultum eius tanquam ad speculum componere: cum vero abest vir, ædes custodire & latere. In quo Tibullus canit:

L. si libe. de pac. dota. ff. l. 3. de don. inter vir. & uxo.

l. ex ea. § mulier. de verb. ob. ff. in d. §.

Felix Admeti coniunx, & lectus Vlyssis,
Et quæcunq; viri fœmina limẽ amat.
Nempe, ut Xenophon scripsit, honestius est mulieri manere domi: idque illi omnino convenit, cum sit venustior, debilior, ideoque natura timidior, ut domi se cum pudicitia, & importata à viro præcipue extra agente, tueatur, disponat, regat. In quo Aristoteles ait: Viro quidem indecens ea scire, quæ intra ædes fiunt. In cæteris vero omnibus parere viro mulier cõtendat, nec audiens quicquam de Republica, nec tractans quicquam eorum, quæ ad connubia spectare videntur: sed cum tempus poscit, aut filias tradere nuptui, aut nurus accipere, obediat penitus in his viro, atque sic una deliberet, ut scientiam viri sequatur, intelligens, non ita turpe viro esse quicquam eorum, quæ domi sunt, facere, sicut mulieri, quæ foris, perquirere. Quanquam, ut retulit Plutarchus, Terentia Ciceronis uxor curarum Reipub. magis fuerit particeps à Cicerone facta, quam is ab illa domesticarum. Et sane ait B. Chrysostomus, mulieres viris sapientiores esse oportere, quæ curæ famili-
liari

liari ut plurimum incumbentes, tanquam in quodam philoſophiæ gymnaſio domi manent, ubi multa bona nullis implicata nexibus videre & cogitare læto animo & tranquillo poſſunt. Sicque anima mulieris ſecularibus abſoluta negotiis in portu quieſcit, ut navis tempeſtatibus non agitata, ſecundo vento navigat. Vir autem in medio foro, tanquam quibuſdam in fluctibus verſatur. Quare mulier efficere poteſt, ut quaſcunque moleſtias vir è foro adtulerit, deponat, & quæ bona domi didicerit, in forum adferat. Denuo vero etiam, ut Ariſtoteles ait, exiſtimare debet mulier bene compoſita, mores viri eſſe legem vitæ ſuæ impoſitam ſibi à Deo, per coniunctionem matrimonii atq; conſortii. Quos ſiquidem æquo ferat animo, perfacile reget domum, ſin contra, difficilius. Decetque non ſolum in proſperis rebus mulierem unanimem ſe Deo præſtare, & inſervire viro, ſecundum illius ſcilicet voluntatem, verum etiam in adverſis, & ſi quid ei de neceſſariis deſit, vel etiam ſi corporis quæq; gravis & continua talem torqueat ægrotatio, ac mentis

alienatio, id, quicquid fuerit, æquo ferat animo, & obsequatur semper viro mulier, nisi inquam, turpe sit aliquid & indignum. Id quod & leges nostræ præcipiunt & canones, ac plane, ut inopia conjugis per divitias sublevetur alterius. Hincque notatum à Baldo, capacitatem viri porrigi ad uxorem, & eam fieri capacem per eum. Et quidem jure constat illud. Quod & frater hujus adnotavit mulierem sortiri conditionem viri, ut naturalem effici legitimam etiam, legitimo copulatam viro. Sic etiam à Barbaro ac prius à Plutarcho traditum est: Ῥωμαῖοι νομοθέτην κωλύουσι δωρεὰς διδόναι παρ' ἀλλήλων τοὺς γεγαμηκότας, ἵνα πάντα κοινὰ νομίζωσιν. Hicque in problematis docuit, novam nuptam olim primum ignem & aquam attingere consuesse, ut eo significaretur conjunctionem inter conjuges non esse deserendam, & omnem fortunæ casum communiter illis subeundum, etiam si nullius boni, nisi ignis & aquę participes inter se futuri sint: quippe qui fecit hominem ab Initio, fecit eos masculum & fœminam. Deinde in hoc scilicet, ut præ studio sectandæ uxo-

l. si cũ. §. sim. ff. sol mat. l. fin C. de nup. c. 1. de conjug. lepr. c. si uxor. 32. qõ. 5. auten. de exhib. re. §. si.

Bald. in l 3. §. etsi de natur. li. C. §. si quis l. Et §. quod vero ubi Angel. notat. in auten. quib. mo. nat. effic. sui. l. quoniã de nat. li. C.

Id est: Romanũ legislatorem prohibuisse, matrimonio junctos dona dare sibi invicem, ut omnia communia esse existiment.

uxoris desereret homo patrem & matrem: id est is, qui fecit masculum & fœminam, insevit illis summũ amorem, post quem essent habituri omnia optima & charissima mundi, fieretq; alter alteri adglutinatus, una caro, id est, ut una bona malaq; perferant, uti scripsit Rodolphus Agricola. Unde apparent longe stolidissimi coniuges, qui mutuo sibi paupertatem exprobrant: præcipue cum à Iove missa sit mortalibus (ut habet Hesiodus) & dos Numinis illa potentis. Ubi Paraphrastes adnotandum censet, plerunque hominibus, sive paupertatem, sive divitias, videri magna Dei contingere voluntate. Sed & mutatione dexteræ Excelsi commutari videmus ista, ut ideo pluris vel minoris facere aliquem, quod dives vel pauper sit, nimis stultum sit. Hincque iustissime notatus ab Eusebio nostro ille Tyaneus, quod Thesauro in agro empto invento frustrari debere venditorem petentem id à Phraote rege Indiæ respõderit, quod nequaquam dii venditorem ipsum & agri possessione & thesauro pariter voluissent privatum, nisi fuisset vitiis in-

inquinatus, alterum vero ditatum, nisi venditore melior esset. Unde sequitur deductio absurdissima. Quam nec ipse Apollonius, qui etiam alibi vult sapientes esse pauperes, ignorare visus est mihi plane sentienti, quantũ ad illud iure nostro attinet, emptoris domini facti esse thesaurum in prædio, quod emit, inventum, regulariter.

L. à ratione. de rei vendi. ff.

Et id maxime videtur obtinere debere, si bonus talis esset: quo thesauro si malus esset, indignus videretur, & ideo à rege summum imperium tenente & philosophante privandus: cum & S. Iob. testante, solis sapientibus data sit terra, atq; ideo quicquid est, cum ex ea prodeat, & sit ea communis omnium mater, ut & idem Apollonius frumenti cauponibus scripsit. Ideoque is intelligens per dæmonem, videlicet in horto quodam empto nuper à viro, qui divitias nequissimis quibusq; rationibus compararet, thesaurum latere, effecit, ut vir bonus egens emeret illud rursum, & sic thesauro invento dives efficeretur. Sed ad rem. Rursum ait Aristoteles: Ab his quæ turpiter vir imperat, cavere debet mulier. In aliis autem

multo

multo magis obtemperare debet viro, quam si empta venisset in domum. Magno enim pretio empta fuit, societate scilicet vitæ, & procreatione liberorum: quibus nec maius nec sanctius quicquam esse potest. Adhuc Aristoteles. Si quid perturbatione animi vir deliquerit, mulier memoriter non servet, sed ægritudini ignorantiæq; adscribat. Et convenienter Ovidius:

Leniter ex merito, quicquid patiare, ferendum est.

Sic enim semper manebit concordia inter eam & virum. Quod est maximum coniugii bonum. Unde dicebat Nausicaæ puellæ Ulysses apud Homerum:

Οὐδὲν μὲν γὰρ τοῦ κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον,
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι. Μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.

i. e. Nec enim eo quicquam præstantius & melius,
Quam cum concordes cogitationibus rem familiarem administrant,
Vir atque coniux. Vnde oriuntur multi dolores hostibus,
Gaudia vero benevolis. Maxime autem audiunt ipsi.

Et filius Syrach hoc inter pauca alia probatum maxime Deo & hominibus ait, videlicet, vir & mulier sibi invicem bene consentientes. Vnde merito ait noster Bartolus, quemlibet debere facere, ut inter virum & uxorem concordia & amor vigeat, quantum fieri potest. Quod si quis agat contrariũ, esse dignum reprehensione: & quidem existimaverim ego, & id porro facile est videre verum esse, præcipue inquam locum habere in conjugiis sententiam Sallustii, quę habet, Concordia res parvas crescere, contra discordia dilabi magnas. Cui sententiæ M. Agrippa vir ingentis ingenii (uti L. Annæus attestatur) ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, solus felix, multum se debere dicere solebat. Hac se ajebat & fratrem & amicum optimum factum. Et hac concordia existente inter conjuges haud dubie verum illud Daphnidis dissertantis cum puella apud Theocritum,

In disp. Incip. quæritur utrum judex, &c.

Οὐκ ὀδύνην οὐκ ἄλγος ἔχειν γάμον, ἀλλὰ χορείην.

i.e. Neque dolorem neque tristitiam habere nuptias, sed choream.

Quod vero ipsa puella inquit:

Ὅτι

Ὅτι γάμοι πλήθουσιν ἀνίας.
i.e. Quod nuptiæ repletæ sint tristitia,
Obtinet ubi discordia, & precipue uxor rixosa. Hæc enim est quæ (ut habet vulgare dictum ac sapientis) domum ædificat & destruit. Nec majus tormentum esse putatur conjugio infelici, & uxore morosa. Unde in fabulis refertur dæmon, cum quondam uxoratus fuisset, defunctaque uxore haud tractabili statuisset cęlebs manere, cum ingressus esset hominem, à quo non poterat ullis adjurationibus expelli, tandem cum exorcista minaretur ei mulieris conjugiũ, continuo exclamasse se egredi, statimque exiisse. Verum maxime in lecto concordiam inter conjuges servari debere Plutarchus scripsit. Nam quæ discordia gignitur in lecto, non facile alibi dissolvitur, ubi scilicet alibi accepta discutitur, cæteræq; molestię abiguntur honesta jucũditate, nõ meretriciis illectamentis: quæ requirit impudens Epigrammatista dũ ait:
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
Sis licet usque die, Thaida nocte volo.
Aitque Lucianus habere, quoddam incitamentum suave pulchritudinem

amatæ personæ una cubantis, & facilius inducere somnũ, atq; hoc ipsum facere amanti suavissimum, si secum vigilare cogatur, & osculetur interea sæpius & amplectatur, & his veluti scalis quibusdam ad illud extraneum commode veniat, quod discordiam quamcunque in pacem commutat, ut nostrorum aliqui multis testantur. Etenim (ut inquit Plautus) qui vult cubare, pangit saltem suavium. Hoc enim mutuæ benevolentiæ signum est, concordiæ, & pacis. Et quemadmodum ait B. Ambrosius, osculum est, quo invicem amantes sibi adhærent, & velut gratiæ interioris suavitate potiuntur. Osculis & amplexibus animorum expletur voluntas. Osculantes se non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere. Osculum pietatis & charitatis amorisque & indicium est & pignus:

Neviza. in sylva, & Lupus in c. per vestras, de don. inter vi. & ux.

Ε῎ςι καὶ ἐν κανεοῖσι φιλάμασιν ἀδέα τέρψις.
i.e. Est etiam in vanis osculis dulcis quædam voluptas.

Vt Theocriti Battus ait.

Ac id tum maxime verum est, cum suaviter lacrimanti datur osculum. Id enim

enim dulcius ac quodammodo ſapidius eſt, ut de primo conjugum congreſſu, in nuptiis Honorii principis, ſat terſe cecinit Claudianus, in hæc verba:

Non quiſquam fruitur magnis odoribus,
Hybleos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes,
Creſcunt difficili gaudia jurgio,
Acceditq́ magis, qua refugit Venus.
Quod flenti tuleris, plus ſapit oſculum.

Pariterq; Sextus Propertius inquit:

Nõnihil aſperſis gaudet amor lachrymis.

Sed jam quæ ſint viri partes propriæ, explicandum.

CAP. V.

De officio viri erga uxorem.

A Viris autem ſunt multa condonanda uxoribus, pleraque diſſimulanda, nonnulla plane parcenda. Ac nunquam ad verbera provocandum, quam ad extremum, idque in maximis erratis, quemadmodum de pharmacis pleriq; conſueverunt, his non utendum, niſi demum, &in morbis

bis alioquin incurabilibus. Summis etenim morbis ſumme exquiſitas curationes optimas eſſe Hippocrates ait. Memores ſint viri, mulieribus tanquam infirmioribus vaſculis, ex ſententia celeberrimi Apoſtoli, compatiendum. Nempe

Vnicuique dedit vitium natura creato.

ut Propertius ait. Et ſane inquam cerebroſitatem quaſi peculiarem mentibus infixit mulierum: ut quemadmodum Andrelinus vates inquit,

Non ſi fœmineum crebro caput igne refundas,
Ingenii mutes prima metalla ſui.

Nihilominus conſideret vir, mulierem eſſe partem ſui digniſſimam, propinquiſſimam, familiariſſimam, quæ ut ſocia & ſoror haberi debeat, ut B. Antoninus tradit. Et Baldus noſter adnotat, uxorem & maritum parificari, & unum eſſe haud dubie. Vnde maritus agere poteſt ſine mandato, nomine uxoris. Idque Paulus Iureconſultus habet, recte ſororem dici quæ fraterna charitate diligitur. Proinde quidam non inepte blando ac mirum in modum honeſto ſororis nomine uxores vocitant. Quemadmo-

In l. in rebus de rei ux. act. C.

Pan. in c. cõſtitut. de procur. L. nemo du. de hære. inſt. f.

modum Adrianus martyr legitur fecisse, suam Nathaliam etiam sororem appellans. Eaque appellatio mutua condecet, maxime inter quos de religiosissima vita convenit: quia sancta consortia spiritus vocabula non tenent nuptiarum, uti scripsit ad Pammachium D. Hieronymus. Pariter ad Theodoram Lucinii viduam, idem ait, de marito ejus defuncto loquens: In terra quoque sororem te habere cœperat, imo tu illū fratrem: quia casta conjunctio sexum non habet nuptialem. Et alibi idem admonens prudentis patientiæ maritum, spondet quæ nunc uxor est, futuram paulo post sororem. Magni enim momenti est omnino in efformanda uxore mariti prudentia, & bonitas: ut non ab re dixerit Henricus Cornelius, nullis nisi malis maritis uxores contingere solere improbas. Debet & haud dubie vir amputare omnes querelas, dando quæ necessaria & oportuna sunt, tanquam suæ ipsius carni: quam nemo unquam odio habuit, sed fovet & nutrit, ut Pauli habent hagiographa. Alioquin competit in eum malæ tractationis actio,
ut est

In l. cũ, qui. de episco. & cle. C. Alex. li. 4. c 8. Pet. Iesuand. trac. de doct. par. 1. qõ. 25.

ut est notatum à nobis, & in genialibus Alexandri ab Alexandro. Amare enim haud dubie uxorem propriam, ut se ipsum præcipue vir debet, & impensius cæteris doctor, ut quidam nostrorum tradidit. Egregie autem in hoc Phocylides pervetus Poëta Græcus, ita inquit:

Στέργε τεὴν ἄλοχον· τί γὰρ ἡδύτερον καὶ ἄρειον:
Η ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι,
Καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος.

i.e. Ama tuam uxorem: Quid enim dulcius & melius,
Quam quando mulier cum viro amorem colat usq; ad senectutem,
Et maritus cum uxore sua, neque inter eos contentio incidat?

Ac (scilicet cum commodum erit) mari talibus blanditiis & ludis oportet maritum delinire uxorem. Quos omnino quidam arbitrantur, severe nimis, abesse debere in matrimonio. Sed hi quidem minus mentis ac cerebri, quam locustæ habent, nedum sunt indoctissimi, inhumani, ignarique. Quorũ etiam durus rigor (ut est in musica Minę) icedat amori oportet. Sane legimus apud vetustissimum dignissimumq; historicorũ Mosen, visum

ſum Iſaac jocantem cum Rebecca uxore ſua. Quod in Hebræo, originali videlicet lingua, ne latum quidem unguem diſcrepat ab hac interpretatione. Sic enim habet: וירא והנה יצעק מחעק את רבקה אשתו. Eſt enim verbum מעחק quod venit à עחק quod luſit, jocatur, riſit, interpretantur, & hic communiter, jocabatur, ſive ludebat, quod idem eſt: ludus enim hic maritalis fuiſſe manifeſto apparet ex ſequentibus: in quibus habetur Abimelech ex eo ludo deprehendiſſe Rebeccam eſſe uxorem Iſaac, quam celarat eſſe uxorem, dicens ſororem eſſe. Porro ad eum locũ commodiſſime ſcripſit in Fauſtum Manichæum divinus Auguſtinus in hæc verba: Hoc cum ſancti conjugati faciunt, non inaniter faciunt ſed prudenter. Deſcendunt enim quodammodo ad fœminei ſexus infirmitatẽ: ut aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant, non enervantes, ſed temperantes virilem rigorem. Quod tamen ei, quæ uxor non eſt, qui dixerit aut fecerit, turpe eſt. Verum hoc quod ad mores humanitatis pertinet, ne quiſquam durus & ſine affe-

i.e. Et vidit, & ecce Iſaac ludebat cum Rebecca uxore ſua.

ctu idipsum pro crimine obiiciat sancto viro, quod cum coniuge sua luserit. Tales enim homines inhumani, si aliquem gravem virum ludicrum aliquid garrientem pueris etiam parvulis viderint, quo eorum lacteum sensum affabili &nutritoria facilitate permulceat, tanquam delirantem reprehendunt, obliti unde creverint, aut ingrati quod creverint. Sic & isti tetrici matrimonialis comitatis osores obliti, aut prorsus nescire videntur, cuinam animali iuncti sint, aut jungi necesse habeant, matrimonio scilicet, si illud inire velint, mulieri videlicet natura minime gravi, sed debili & infirmæ. Atque ingrati iidem videntur, quod à Deo tam suave, & iucundum, utile, ac necessarium coniugium, id est societatem legitimam mulieris, ipsamque mulierem acceperunt, & tam severe, imo truciter habent, ut nunquam existiment cum legitimis uxoribus hilariter agendum, ac non (quod quotidianum & maximum viro seculari & studio nec indiligenti est opus) tristitiam labore, ac necessitudine multiplici contractam, discutiendam. Quod maxime

xime fieri mulierum hilaritate testatur nostrum quidam, falso tamen ad id citans Senecam in declamationum suarum prooemio, aientem, quicquid fatigationis, studiorum vexatione, contractum est, feriarum hilaritate discuti. non, ut ille citat, foeminarum. Sed ipse Deus omnia etiam hæc, legitima quidẽ, ut semper intelligimus, conclusisse videtur plane, ubi dixit: Non bonum hominem esse solum: idcirco facere decernens, & operans continuo adiutorium ei simile, mulierem videlicet. His vero inquam nõ admittimus, intelligimusve aliqua illegitima, ac ne quidem inter cõjuges probamus oscula indecora, & lasciviora: quando, uti scripsit Gersonensis Theologus ille gravissimus, oscula coniugum, quæ fiunt tanquam pacis in ecclesia, & veluti ea, quæ in aperto, haud dubie sine peccato sunt. Possunt tamen fieri etiam inter coniuges oscula, adeo ut, honestatis ordine, & modo neglecto, non sit sine peccato, his uti. Vnde & similes nos intelligere licet excludere multas, quas plurimi notaverunt Thelogi in matrimonii usu ineptias, equidem pravitates

Ioan. Neviza. in syl. nupt.

tates

tates abhorrendissimas: & quas Lucianus ille impius ac scelestus autor (Cui non satis fuit ipsum qui nos servat, Christum inquam nominatim, injuria adficere verbis indignissimis) docuit in asino, vere asininas, & porcinas, imo magis quam beluinas lascivias. Quibus connumerandum est, & æque damnandum proritamentum omne Veneris, lasciviæ causa. Qualem narrat Theophrastus Indum herbam habere, quæ non solum edentibus, sed etiam tangentibus tantum genitalium vim adeo facit vehementem, ut quoties velint coire valeant, duodecies egerint nonnulli. Verum tandẽ guttatim fit emissio ipsius sanguinis, finito videlicet spermate. Cujus etiam si quid plus, quam naturæ integritas ferat, emittatur, magis obest, quam si quadragesies tantum sanguinis emanaret, uti Abensina Arabs medicus attestatur. Nimirum etiam scribit Hippocrates ac Macrobius coitus definitionẽ, ut sit parvus morbus comitialis. Organa enim seminariæ virtutis sunt venæ & arteriæ. In his germinabile humidum, transmutato semine, primum generatur, sicut

in uberibus lac. horum autem nutrimentum vasorum est humor hic. Et in principio ex spermate generationem habent. Siquidem cum areriæ, & venæ sanguinem ad germinabile humidum, ut nutriatur, emittunt, quod superabundat ab alimento, eorum germen fit, ascenditque primo, per multam circuitionem, ad caput, rursusque per duas venas, & totidem arterias, à capite descendit. Unde si quis venas absciderit, quæ sunt juxta aures, sicut quæ sunt juxta cor, infœcundum animal reddit, ut docuit Gregorius Nicenus. Nil mirum, si nonnullos mori in actu venereo evenit. quos legit Textor Nivernienfis. Atq; sacris docemur literis, eos qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excutiant, & libidini vacent, ita ut equus & mulus, quibus non est intellectus, potens in se habere dæmonium. Igitur humanos & jucundos quidem præstare nos oportet uxoribus, non inhumanos & truces, vel etiam intemperantiores. Nec ab re scribit Plutarchus, eos qui uxores edere & bibere secum libenter non vident, solæ cum sunt, eas
imple-

impleri docere. Ita eos, qui non hilare cum illis concumbunt, nec jocos risumque communicant, docere illas sine ipsis proprias quærere voluptates. Cæterum (ut inquit idem) turpe est præsentibus aliis, se mutuo amplexari; & osculari, insolentius. Nam quidem osculum simplex, quod pro rei qualitate solet inter conjuges committi, non improbatur. Sed congressus quidem & oblectationes familiariores & liberiores cum uxore, secreto fieri convenit, & ne à quopiam videri, vel sciri, quemadmodum & objurgationes, & ejusmodi. Unde Athenienses gravissimi orbis viri, cum Philippi hostis literas, quas ad Olympiadem scripserat, intercepissent, eas inviolatas reddiderunt: ne, inquam, tori genialis & secreta conjugii panderent. Alioquin vero admonitiones ac reprehensiones apertæ ac liberæ esse debent, quo semper in tam digna societate rejiciatur, quod à virtute & modo recedit; quod rectum est, conservetur. Uxorem enim haud dubie vir probus secundum leges eo animo ducit, ut modeste cum ea vitam degat. Tum vero

maxi-

maxime præcipit Homerus, & Aristoteles docet, virum & uxorem in his, quæ improba & impudica sunt, consentire invicem non debere. Quod & nostris probatur. Quoniam eatenus parêre viro cogitur mulier, quatenus legi Dei, id, quicquid est, quod præcipitur, convenit; & vir quoque eatenus uxori indulgere debet. Quod si quid omnino Dei resistit voluntati, prorsus non admittendum. In quo B. Antoninum ac alios Theologos non frustra videre est prolixius scribentes.

CAP. VI.

De castitate, excellenti virtute, ab omnibus semper retinenda, præcipue Christianis.

OMnino autem etiam à conjugibus decens castitas servanda est: virtus utique ab omnibus prorsus omni loco, quantum fieri potest, amplexanda. Quippe quæ Deo amica sit admodum intima & familiaris. ἥτε μετὰ παῤῥησίας δυνατὸς καθέστηκεν Θεῷ ἀνθρώπων παραστῆσαι ψυχὰς, ut habet Iustinianus

i.e. quæque aperte potest Deo exhibere mortaliũ animas.

nus noster. Nam ut alibi dicitur, ταμεῖον ἀρετῆς ἐστι σωφροσύνη μόνη. Non certè est virtus, quam, si quis vel castitatem habeat, non possit facile indipisci per eam. Quæ si sola maneat minime, si cum aliis fuerit (ut esse aptitudine sua solet) maxime digna est vita æterna. Nec dixit Iustinianus eam solam posse animas hominum, Deo præsentare (ut interpretantur) quanquam si dixisset etiam poterat multis aptis sensibus excusari: sed nullo modo putandum est ipsum existimasse, etsi existimasset verum esse, castitatem cuius verba facimus, animis nostris satis fore. Οὐδὲ γὰρ, inquit B. Chrysostom. σωφροσύνη μόνη δύναται σώζειν ἄνευ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, οὐδὲ πρόνοια πτωχῶν, οὐδὲ χρηστότης, οὐδὲ ἄλλό τι τῶν σπουδαίων, ἀλλὰ δεῖ πάντα συνδραμεῖν εἰς τὰς ἡμετέρας ψυχάς. Teste etiam D. Ephræm Syro, singularis quidem virtus vocatur, estque pudicitia, & castitas, sed quæ perfecta non est, plena, utilis, sine aliarum adminiculo virtutum: quemadmodum diadema regis sine pretiosis lapidibus, cui ne unũ defuerit, & alphabetum non omnibus literis adornatũ, & dapes quantumvis optimæ sine sale. Atque sicut aquila, cuius ungulæ summitas la-

i.e. Receptaculũ omnis virtutis sola est temperantia.

i.e. Neq; enim tẽperantia sola salvũ aliquem efficere potest sine aliis bonis, neque provisio pauperũ, neque benignitas, sed hæc omnia in animas nostras concurrere oportet.

queo comprehensa tenetur, nec potest altius evolare, nisi fuerit liberata: ita & virtus hæc nisi à terrenis negotiis liberetur, perfecta esse non poterit, valere non poterit, in illo extremo judicio: ubi segregabuntur ceu hœdi ab ovibus, etiam qui corpore quidem virginitatem observarunt, sed moribus inclementes immitesq; perstiterunt. B. quoque Hieronymus in Iovinianum scribens, in omni, ait, gradu & sexu tenet pudicitia principatum, & pudicitiæ principatum virginitas: quæ sicut absque cæteris operibus sola non salvat, sic omnia opera absque puritate, continentia, castitate, imperfecta sunt. Doctissimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendā: qua amissa omnis virtus ruit. Contēplemur membra, quæ serviunt generationi, quanta diligentia & arte munita sunt, quam varios habent anfractus ac meatus, ut semen cōservetur. Vt vel inde liceat perspicere, nos esse conditos ad continentiam, ut sapientissime colligit Melanchthon. Cæterum, Tertullianus graviter & pulchre nobis commendat pudicitiam, dicens: Cum omnes templum Dei

ſimus, illato in nos & conſecrato ſpiritu ſancto, eius templi æditùus & antiſtes pudicitia eſt: quæ nihil immundum & profanum inferri ſinat, oportet: ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat. Potiſſimum vero hęc mulierem condecent, maxime iam viri legitimo coniugio illigatam. Trapezuntius, muliebres virtutes, ait, ferme eſſe caſtitatem, formam, & audaciam non improbandam. Interque duodecim abuſionum gradus, quos libro peculiari enumerat B. Auguſtin. unus dicitur eſſe fœmina ſine pudicitia. Belle B. Hieronymus, in hac, inquit muliebrium virtutum principatus eſt. Multa ſunt, quæ præclara ingenia nobilitant. Mulieris autem virtus proprie pudicitia eſt, &c. Ait & Sixtus Pythagoreus: fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. Mulier pudica gloria viri eſt. Huius autem maxime obſervantes eſſe debent præ viris, quod eius admoneantur multipliciter à natura, ut mittam alias plures cauſas. Nec ab re Plinius teſtis eſt, virorum corpora ſuprema fluitare, fœminarum prona, velut pudori parcente naturâ.

turâ. At maxime insimulantur impudicitiæ mulieres, teste Nasone:
Casta est, quam nemo rogavit,
Rara est matrona pudica.
Quem imitatus Vulteius cecinit:
Rara avis in terris fœmina casta volat.
Quemadmodum etiam à Satyrico dicta, quæ pudica simul & fœcunda ac dives sit, nec carens aliis bonis:
Rara avis in terris nigroque simillima cygno.
Et fabella vulgi apud nos est, mulierem quandam nomine Aurosam, tanquam Medam illam pontis Babylonici artificem, oneratam lapidibus olim properasse ad extruendam Tolosam: & cum in via iam extructam audiret, lapides eo loci, ubi nunc ostenduntur, disiecisse, simulque prædixisse futuras tum mulieres impudentes, cum disiecti lapides iuncti essent. Et cum ita sint hodie, mulieres dictitant ab omni verecundia maxime alienas. Nec prorsus hæc vana, cum præter experientiam, intelligatur fœmina animal imbecillimum, laxum, & ad labores minus aptum, maxime vero ad quietem, delitias,

Bolog. in aut. habita. ne fil. pro pat. C. Bald. in l. pater. de nupt. C.

voluptates, quod & nostrorum quidam adnotat, uti sapiens testatur, animal illecebrosum, simul & concupitum à viro, eiusque captionibus propemodum infinitis expositum, ut de minoribus dicitur inter leges nostras. Vnde notatum est, in gubernatione puellæ verti sumptum ac laborem ingentem, etsi ille tantum repetatur. Et gravis est sane propterea solicitudo parentum de filiabus suis, qualẽ narrant sacra, filiam magnæ curæ videlicet esse patri, testantia, ne forte ea in adolescentia sua turpitudinem operetur, & aliquando nupta viro odiosa fiat. At mulierem impudentem, atque impudicam scilicet facit plurimum maiorum suorum facilitas & licentia. Quapropter ait Phocylides:

Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι,
Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς.
Κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσι.

i.e. Virginem autem custodi bene clausis thalamis,
Neque hanc usque ad nuptias ante domum conspici siveris.
Pulchritudo filiarum difficile custoditur à parentibus.

Sic-

Sicque Alciatus noster:

Innuptas opus est cura asservare puellas.
Pervigiles laqueos undique tendit Amor.

Plato voluit virgines non nisi cum matribus in convivio esse. Prodit Aemilius Probus, in Graecia neque in convivium adhiberi mulierem, nisi propinquorum, neque sedere, nisi in interiori parte aedium, quae Gynaeconitis appellatur, quo nemo accedit nisi propinqua cognatione coniunctus. Et adnotatum est à Melanchthone olim innuptas non prodiisse in publicum, sed domi solitas contineri. Quod innuptae raro se publico exhiberent, manifestum est Hesiodi versibus illis, quibus antedictum à se intelligamus oportet excoriatorem hominum pecudumque Decembrem:

Καὶ διὰ παρθενικῆς ἁπαλόχροος ὐ διάησιν,
Ἥ τε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει.
Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.

i.e. Neq; vero per virginem tenera cute praeditam penetrat, sc. frigus.
Quae interius in aedibus apud charam matrem manet,
Ignara operum aureae Veneris.

Id autem non semper, aut ubiq; fuis-

ſe conſtat: quando, ut Probus ſcribit, Lacedæmoni nulla fuerit tam nobilis matrona, quę ad convivium non ierit mercede conducta, etiã vidua. Quanquam viduas non minus, quam virgines domi manere, & non alienas (qnod ait Apoſtolus) περιερχομένας οἰκίας decet. Adhæc parenti in ſacris dicitur: Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum: & non oſtendas hilarem faciem ad illas: laudando autem magis quam vituperando confundam virginem, Septimus ait. Quam etiam uxorem factam bonam eſſe permanſuram non potes affirmare: quoniam nihil tam mobile, tam vagum, quam fœminarum voluntas. Multæ inter probas matrimonialis ordinis cœperũt eſſe exempla meretricularum, quam multas ex coniugibus optimis peſſimas videmus, ex diligentiſſimis diſſolutiſſimas, ex liberaliſſimis rapaciſſimas? ut ait Seneca. Ideo, ſicuti docet Plutarchus, oportet, ut equi magnitudinem, ſic uxoris dignitatẽ conſervantem, uti fræno. Frænum intellige, prudentem & ſuavem ſeveritatem, cui voluntas mulieris cedat, non invita tacite repugnet.

i.e. digredientes per ædes.

Nam

Nam nihil invitæ tristis custodia prodest-
u: ait Tibullus, & pluribus docet quadam elegia Naso. Absit vero zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix omnium malorum, & fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum, ut ait D. Cyprianus. Et Manetho autor est, Cadmum ex zelotypia primæ uxoris ab Hermione discrimen certamenq; passum. Hoc autem malo correpti narrantur Lappii, Latinum servantes interpretamentum, quo ut Lappia inepta, ita illi inepti dicuntur, Zieglero Gresioque autoribus. Et nos sane zelotypos, ineptos nuptiis dicimus. Cæterum nihil prætermittendum est viro (ut Aristoteles docet) quod ad uxoris pertineat disciplinam: ut quam maxime fieri potest, optima filios generet. Quemadmodum agricola quidem nihil amittit, quo semen in optima terra, ac maxime exculta serat, sperans ita demũ fructus optimos se recepturum. Sentiat plane videaturq, uxor caput habere: ne fiat similis bestiolis, illis inquam, quibus desunt capita. Cujusmodi multa sunt animalia, teste Aristotele, libro Prædicamentorum pri-

mo. Item pulchritudo, quæ insipiens esse solet, nisi suum periculum agnoscat, timeat & caveat, agnoscens Dei munus pulchritudinem ipsam esse, ut & Naso habet, impudicitiæ conciliatrix & alumna esse consuevit. Huc accedunt ornatus, & cultus corporis pretiosus ac nimius. Ad hæc autem multa sunt utiliter scripta. In primis sacra ita admonent: Est pulchra? ergo fatua, fallax gratia, & vana est pulchritudo. Mulier timens Deum ipsa laudabitur. P. Ovidius:

Ludunt formosæ. Casta est, quam nemo rogavit,
Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.
Quid formosa tibi, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coire modis.
Lis est cum forma magna pudicitia.

Propertius:

Semper formosis fabula pœna fuit.

Q. Septimius, etsi, inquit, accusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestitus bona, timendum tamen est, vel propter injuriam & violentiam spectatorum, quæ etiam pater fidei Abraam in uxoris suæ specie

per-

pertimuit. Vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo: quia proprie usus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria est, si sensum videlicet tantum, veluti bestiæ faciuut, sequamur. Quemadmodum dixerit aliquis, ubi est fortitudo, potentia, robur, ibi violentiam & injuriam esse. Vnde sane vulgi proverbium exiit, experientia, ut in cæteris, docti. Pulchrum, hoc est fortem virum videri in patibulis. Mulierem venustam in lupanari. Atque fere in omnibus animadvertisse ait se Francisc. Philelphus quadam ad Saxosum Pratensem Epistola, uti non modo virum opibus abundantem, probum non esse, sed & superbũ & contumeliosum, sic pulchros omnes lascivos, & muliebres. Porro inquit Tertulli. Speciositas naturalis à fœminis dissimulanda est. Naturaliter speciosa, non adeo sit occasioni, scilicet, ut in peccatum alium inducat. Certè, si fuerit, non ignorare, sed etiã impedire se debet. Omnis maritus castitatis exactor est. Formam vero fidelis non spectat: quia non iisdem bonis, quæ gentiles putant, capimur. In tantum placebitis maritis, scilicet,

ô maritatæ, inquantum aliis placere non curaveritis. Vxor nulla deformis est marito suo. Satis placuit, cum delecta est, seu forma, seu moribus commendata. Et quomodo dicitur, sua cuiq; regi pulchra est regina, suos quisque nævos, suam sponsam amat. Vetus proverbium, ut Plato testatur, Pulchrum ipsum amicum esse. Et fortunatam sane dicimus uxorem, non quæ formosa est, sed quæ, ut Petrarcha dixit, viro suo talis videtur. Quippe qui possit dicere, quod Ausonius cecinit:

Deformem quidam te dicunt, Crispa, at ego istud
Nescio, mi pulchra es. Iudice me, satis est.
Quin etiam cupio, junctius quia zelus amori est,
Vt videare aliis fœda, decora mihi.

Namque castam frustra putari, quæ multis placet, admonet Pelignus vates. Deinde traditur de corporis cultu adagium, Mulierem male pastam, bene cultam, male cæsam esse debere. Quod de puellis dictum est, ut de pueris contra, quod scilicet, bene pasti, male culti, bene cæsi esse debeant.

Bene

Bene cultam autem puellam intelligunt; ſufficienti veſte munitam adverſum frigus. Quoniam genus mulierum, præcipue puellarum, frigidũ eſt, & frigori obnoxium propter materiei, qua conſtant, fluxibilitatem, & minus ſolidam, magis vero delicatam naturam. Bene culta item puella dicitur eſſe debere, propter ambitas deſtinatione nuptias, ut has facilius adipiſcatur, propter cultum ingenuũ, & paulo, quam neceſſe ſit, alioquin majorem. Quem talibus indulget B. Auguſtinus & recentiores theologi, illum alias grave peccatum eſſe denuntiantes: niſi quidem etiam nuptæ opus ſit ſe cultius ornare, propter virum, quem deditum exlegi libidini exiſtimet eo modo ſibi prorſus hæſiturum. Sed & aliâs non ſordide, ſed ingenue, quantum fieri poteſt, & decenter ornata; præcipue viro adparens, nupta ſit oportet: ut illũ, quem ſolum oblectare debet, non triſtem faciat; ſed potius exhilaret, non ſui tædio adficiat, ſed magis contineat in conſtanti ſui deſiderio & amore. Virum autem hæc omnia primum docere uxorem rudem oportet, & curare

omni modo, ut quam belle conveniat illi semper cum uxore. Memor igitur vir se caput & ducem vitæ mulieri esse, etiam cultum commodum prospiciat. Sicuti vero inquit D. Augustinus, solis maritis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam quidem, non secundum imperium, & ut intelligant, verum ornatum maxime Christianorum & Christianarum non tantum non esse ullum fucum mendacem, verum nec auri quidem vestisque pompam, sed mores bonos. Et jubet Aristoteles, ut mulier proba vestitu & apparatu minori utatur, quam leges permiserint civitatis; considerans, quod nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in operibus, ac studium honeste decoreque vivendi. Etenim omnis hujusmodi ornatus animi, optabilis est magis, multoque firmior, ad senectutem usque veras laudes sibi natisque afferens. Præterea, impudicitiam generat vanus, & impudens, ineptusque aspectus, & locutio, & donorum acceptio mutua, similiaque.

Tales,

Tales, inquit Septimius, volent virginem visam oculi, quales habet virgo, quæ videri volet. Invicem se eadem oculorum genera desiderant. Ejusdem libidinis est videri, & videre. Omnis publicatio virginis bonæ stupri passio est. Et tamen vim carnis pati, minus est: quia de officio naturæ venit. Vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet, quam semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat, adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoque livorem. Velatas itaque prodire in publicum mulieres, probat ille. Quemadmodum multis locis faciunt. Qui mos est Mahumetanarum mulierum, & Christianorum in Melita Insula, quam vulgo vocant Maltham, ubi Rhodiensium statio militum: quæ & lance & licio prodire dici possunt, antiquo & perelegantí proverbio, quo simpliciter & modeste aliquid fieri significabatur: quia qui:

qui furtum quæsiturus ibat in domũ alienam, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat, propter matrisfamiliâs, aut virginum præsentiam. Tanta fuit antiquitati reverentia honestatis, atque pudicitiæ, tanta hujus observantia & cautela: ut pudere nos maxime debeat nostræ stultitiæ. Extatque exemplum apud Xenophontẽ nobile, mulieris Ethnicæ aspectus continentia viri amorem conservantis, & alieni ansam vitantis. Ea Tygranis uxor fuit filii Armenii regis, ætate maximi. Qui cum ex peregrinatione quadam advenisset, invenit captos parentes, necnon sorores, atque uxorem, quam & nuper duxerat, & mirifice amabat. Rogatus vero tandem à Cyro, qui bellum intulerat, ob ipsius Armenii perfidiam admissam in Cyaxarem Medorum regem, avunculum suum, quanti emeret, quo recuperaret uxorem, respondit: Equidem, ô Cyre, anima emam, ne serviat unquam. Dein vero reconciliati Cyro omnes, à cœna cum abiissent in rhedas, ut mos erat genti, cum uxoribus ascendentes læti, venissentque domum, Cyrique alius

sapi-

ſapientiam, alius conſtantiam, alius manſuetudinem, alius etiam pulchritudinem atque magnitudinem narraret, Tygranes quæreret ab uxore quoque, de illius pulchritudine, inquiens: Num etiam tibi, Armenia, Cyrus videbatur eſſe pulcher? at illum ædepol, inquit, non ſpectabam. Sed quem, inquit Tygranes, ſpectabas? illum ecaſtor, inquit, qui dixit ſe anima ſua fuiſſe empturum ſervitutem meam. Inſuper tradit Plutarchus, uxorem aut cum marito, aut per maritum loqui debere, non ægre ferentem, ſi aliena lingua, tanquam tibicine gravius loquatur. Et matronam pudicam non ſubblandiri alienis viris, dixit Perbonus: & ajunt, ubiq; probam mulierem pudicitiæ ſuæ timere debere, ſcilicet ut vere poſſit dicere, quod B. Hieronym. ad Chromantium: Omnia etiam tuta timeo. Aitque non abre B. Bernardus, virgines ſemper pavidas eſſe debere. Enimvero tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt, & quaſi flos pulcherrimus cito ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur: maxime ubi & ætas conſentit ad vitium, & mari-

maritalis deest autoritas: cujus umbra uxoris tutamen est, uti memorabiliter admodum scripsit ad Salvinam B. Hierony. Item decretum est concilii Elibertini, capite ultimo, sic habens: Ne fœminæ suo potius absque maritorum nominibus laicis scribere audeant, qui fideles sunt, vel literas alicujus pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant. Quin addubitavit Ioannes Charlerius, Gersonensis Theologus ille optimus, an scire scribere melius esset, aut nescire mulieri, propter commoda varia atque incommoda, quæ insunt, sciat, vel nesciat. Vult & Martialis, ut non sit doctissima conjunx, adludere visus vulgari proverbio, quo habetur, mulieri quæ latine loqui novit, & puero cui vinum est bonum, non futurum finem bonum. Tandem verò de donorum malo, quæ, ut ille ait,

--- Quicquid tetigere, perurunt,

Propertius ait carmine:

--- Formosa precio capiuntur avara.

Et Cn. Cornelius:

Auri cæcus amor nativum vincit amorem.

Tibullus:

Nam

--- *Nam donis vincitur omnis amor.*

Martialis quoque:

--- *Imitantur hamos dona.*

Namque, quis nescit avidum vorata decipi escarum musca? Denique Vultejus:

Fœmina prostituit sese, quæ munera donat,
Fœmina se vendit, quæ data dona capit.

Porro vero ab hac, de qua loquimur, tantopere servanda pudicitia, fœde nimium deerravit antiquitas. Herodotus autor est, cæteros fere mortales, præter Ægyptios & Græcos coiisse in templis. Indorum quoque coitus in propatulo fuit, sicuti pecorum: atque ab Ægyptiis quidem festus quidã dies Baccho celebratus est, in quo excogitatas statuas cubitales nervis compactas, & mentulam, quæ propemodum instar erat reliqui corporis, fœminæ circumferebant per pagos, tibiam præeuntem sequentes. A quibus desumentes exemplum Romanæ matronæ, inter cætera, Idibus Augusti virilis membri figuram divinis percolebant honoribus. Quam extra portam Collinam ad ædem Veneris

cum

cum pompa ſacrorum deferebant. mox à caſtiſſima, & ſpectatæ pudicitiæ matrona, in ſinu Veneris locabatur. Calamitoſum putavere Medorũ mulieres paucioribus, quam quinque viris nubere, cum tamen Rex vel ſeptem habere conſueverit uxores. Lithuanæ matronæ palam concubinos habent, virorum permiſſu: quos connubii vocant adjutores: ubi contra viris pellicatus probro datur. Naſamonibus mos eſt, cum quis primum ducit uxorem, prima nocte, ut ſponſa ſingulos convivas obeat, Veneris gratia, & ut quiſque cum ea concubuit, donum det illi. Augilas dicunt fœminas ſolemne habere, nocte qua nubunt, omnes ad coitum admittere, & quanto cum pluribus concubuerunt, tanto majus illis decus accreſcit. Quanquam in reliquum tempus inſignis eſt pudicitia earum. In Balearibus inſulis mos erat, cum nuptiarũ convivium celebraretur, ut ſinguli, ætatis ordine ſervato, ſibi ſuccedentes nuptam inirent. Relatum quoq; pluribus locis dominos uſurpaſſe, ut omniũ, qui dominationis ſuæ erant nuptæ, nocte prima cũ ipſo domino

con-

concumberent. Quæ primorum, ut quidam ait, Connagiorum consuetudo tanquam diabolica recte fuit extirpata. Cyprii virgines suas priusquã nuberent, peregrinis nautis prostituere, & demum nuptui dare consueverunt. Ex quo, & similibus spurcitiis, præter fabulas, sacram Veneri Cyprum dictã intelligimus. Et quod nuper plurium locorum dominos usurpasse diximus, apud Andrimachidas Aphricæ populos, in usu fuit, illi enim regi suo exhibebant nupturas virgines, ut eas devirginaret, nisi quæ illi nõ placeret. Nomades item communes habuerunt uxores ac filios, sicut & Scythæ. & Plato, si diis placet, in optima Repub. constituit, uxores & liberos scilicet esse communes. Quod quam sit absurdum, nemo non viderit, statim rem considerans, etiam præter legem divinam. Quam non ignorans, utpote Mosis scriptorum probe gnarus, ille arroganter nimium, quasi ea in eo minus prudenter & sufficienter statuisset, tanquam vero ipse etiam esset prudentior, decrevit id quod & discipulus ejus Aristoteles oppugnavit. Quod neque Ficinus

Cagno. in l semper. in contr. de reg. jur. ff

gloss in l. 1. de compens. C.

nus fatis, neq; Bessario defenderunt. Quin ex maxime laudati Spartæ legumlatoris Licurgi institutione, licebat viro admiranti fœcundam aliquã mulierem alterius, persuadere viro ejus, ut permitteret cum ea congredi: ut scilicet interea adulteram, & in reliquum incontinentiorem mulierem redderet, virum sceleris conscium & cooperatorem, & lenonem cõjugis propriæ. Hi sunt fructus tantopere laudatarum ab antiquitate Ethnica, suorum sapientum legum. Hi sunt sapientes eorum, quos tantopere admirati sunt nonnulli etiam Christianorum, ut nisi vetaret pœnæ timor, divis palam, opinor, adscriberent, & eos divinis honoribus percolerent. Talis erat dominante orbi malo dæmone, ac ejusmodi sapientibus, leges ponentibus, populus. Postea vero, qnam lux christiana illuxit mundo, & nunc maxime, quando post millesimum salutis annum Satan solutus est, si quid simile inter Christianos etiam videtur, non propterea Christiana religio in invidiam vocanda est, quia nihilominus improbi sint ejus cultores imo improbiores, quam

genti-

gentiliatis, sint. Quam toto effusi veneno celebrant, & sanctissimam faciunt, solius virtutis, nescio cujus, vel qualis, professores se dicentes impii Athei. Quod quam vere faciant, vel in hoc impudicitiæ vitio, vides, his, quæ diximus. Quibus & hoc adiungendum est commode, quod nobis succurrit de incolis insularum, quæ Hebudes dicuntur. Hi certe omnes ad normam Reip. Platonicæ compositi, certum non habent matrimonium, sed vulgo fœminis utuntur. Pariterque Garamantici Aethiopes matrimonià privatim nesciunt, sed ab omnibus vulgo in Venerem itur. Inde est, quod filios tantum matres recognoscunt. Paterni nominis nulla reverentia est. Vnde hęc gens maxime degener inter humanos habita est, quippe quæ sufficienti ipsis sensibus lasciviæ non sit contenta, sed dissoluta prorsus, & veluti hominem, hoc est rationē homini propriam exuens, tanquam sensu solo ducatur cum belluis, nullum discrimen in conjunctionibus ponit. Quod tamen bestiæ ipsę nonnullæ faciunt, ut columbæ: quarum unaquæque comparem habet, à

quo

quo tantum initur: animal quanquã in Venerem pronum, tamen pudicum etiam naturâ, & cui prorſus adulterium eſt ignotum. Niſi vera ſit hieroglyphica Ægyptiorum nota, quando ſcilicet pingunt columbam, ingratum ſignificantes, quoniam progenitus mas valentior factus, patrem ſuum expellat, ac ipſe cum matre coëat. Porro vero etiam fuerunt nonnulli populi, quibus probata fuit & obſervata præcipuè caſtitas, & mulieres caſtæ pudicæq; admodum. Sicuti apud Traucos. Quorum fœminis ſolicitudo eſt pudicitiæ maxima. Et apud Spartanos, quorum legibus cavetur, & ob pudicitiam continentia aſſueſcendam, & ob robur virile idem temperantia ſemper obtinendum, ne continuus ſit maritis cum uxoribus concubitus. quod adprobaſſe videtur maxime Plato, ubi ad Dionyſii propinquos ſcribens, improbavit, μηδέποτε κοιμώμενον μόνον νύκτωρ. Vna item proditur à Trebellio Pollione regina Palmyrenorum, nomine Zenobia, tantæ caſtitatis, ut ne virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus. Nam cum ſemel concubuiſſet,

i.e. nunquã ſolũ nocte cubantem.

ex-

expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset: sin minus, potestatem quærendis liberis iterum dabat. Quo vel exemplo pudere deberet Christianos conjuges post conceptũ se invicem attingere, & mulieres prægnantes, pari mortuo, nubere, quasi permittente Apostolo: Cum non sit verisimile de his sensisse Apostolum, propter periculum abortus, qui ex ejusmodi contactu frequenter fit, unde quam rarissime pariunt meretrices. Illudq; docuit post Decium Senensem Marius Salomonius. Item quando contingit partum coitu abigi, coëuntes inter innocentes magistratibus non habendos, & ab eis extra ordinem plectendos existimans. Atque ob rem hanc nefarium, in mulieribus ceu fundis, si ratione valerent, domino contempto, exteri semen illegitimum admittentibus & multas zizanias producentibus, adulterium, magis quam in viris cum liberâ muliere, ceu in fundo, quasi nullius egentibus, habitum, alioquin plus puniri dignis, quia natura & lege potioribus quam mulieres ipsæ, cum sint vasa debiliora, & minoris con-

In l. 1. de jus. & ju. & in l. Gal. de li be. & post hu. ff.

stan-

ſtantiæ, ut docuit quoque Georgius Venetus eleganti quodam problemate. Atque ideo dixerit aliquis, prohibitum fuiſſe viduis intra annum luctus viri prioris nubere, mulieribus quidem, non viris itidem, cum & mulieribus ſponſalia ſint permiſſa eodē jure. Itaque non ineleganter impunibilis contenditur apud ſeniorē Quintilianum prægnantis mulieris in adulterio deprehenſæ peremptio, his verbis: Ipſam vero adulteram adeo oportuit occidi, ut nulli unquam iraſci magis leges debuerint. Vltra commune flagitium, prægnans adultera aliqua, hoc tempore, quo ſalvo pudore à marito ſecubaret, cum adultero volutata eſt: & cum animalibus multis, etiam, quorum libido non ratione continetur, hæc tamen ſit natura, ut poſtquam conceperint, omnem refugiant Venerem, matrona ne pudore quidem partus, jam etiam inſtantis, moveri potuit, ut pudicitiam, ſi non marito, at futuro certe filio præſtaret. Illa igitur prior damnavit ventrem ſuum victurum. Si ego adulteram non occidiſſem, non noviſſemus hos mores turpiſſimos

130. ſec. 4. tom. 6. Placenti. in ſum. C ex quib. c. infa. irro. Decida. 277.

fœmi-

fœminarum, ut oderint puerperia, ut filios velut indices ætatis abominentur. Verba hæc sunt mariti, ceu rei facti se tuentis in judicio. Sed in hoc declamet quantum velit Fabius. Non tamen alteri per alterum debet damnum inferri. Pœna culpæ limites egredi non debet, suos tantum autores teneant peccata, oportet. Non innocentem plectere cum nocente licet, quem impunem abire satius est, quam nocentem puniri: etsi scilicet à nocente illi non parcatur: qui ideo proculdubio magis affligendus non est jam afflictus, & pessime consummante eo nequitiã inceptam, qui expiare debuit, non augere: & id ne faceret, quasi ex duobus minus eligens malis, vitare majus. Quamobrẽ etsi lex esset permittens occidi adulteram, hic tamen, pro modo illati damni partui, erat puniendus, sicque, si necem animato intulerat, occidendus & ipse: quanquam alia lex defuisset, quæ & nostro in jure vetat prægnanti inferri supplicia, donec fuerit enixa. Verum enim vero, quam diximus castitatem à prægnantibus servari debere, etiam servant bestiæ.

L. prægnantis. de pœn. ff.

Quod dixit Quintilianus avus, nedum mulieres temperatæ, quales vel exemplo bestiarum multas omnino esse oportet. Etsi sunt quædam, quæ sicut animalia absque ulla discretione indesinẽter libidini serviunt quæ nec mutis pecudibus sunt cõparandę, quę cum conceperint, ultra non indulgent maribus copiam sui: ut inter canones retulit Gratianus. Nimirum, uti scripsit Crinitus, unus homo est inter omnia animantia, qui ad Venerem pro libidine, quocunque anni tempore, accedat. Quanquam minus apte mutum animal pudicum dicitur repugnans mari suscepto fœtu, quoniam in dolorem & periculum veniret, si admitteret illum. Quare ea castitas, sive castitatis imago, nec laude digna est. Ideo vero pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis est, sed voluntaria, uti ait Lactantius Firmianus. Sicque Scythas pudicos vel castos nemo satis rectè dixerit: quorum teste Hippocrate, impossibile est fœcundã esse naturam, cum viri minime cupidi sint cum fœminis commisceri, ob nimiam corporis liquiditátem, ventrisque mollitiem, ac fri-

3. non so lum 13 2 q. 7.

frigiditatem. Itaque Apollonio Tyaneo non recte fieri visum, ut temperatorum numero adscribantur eunuchi, quia coacti & violentia quadam necessitateque compulsi, amore penitus carere putantur: cum tamen nihilominus ament, & quantum possunt, cum mulieribus concumbant sive excisi scilicet sint (quoniam in animo dominans temperantiæ vis est) qui castrati, sive attriti sint testibus qui thlibiæ, sive virga genitali contorti, qui spadones vocantur proprie. Etsi id ignorare visus est ubique sibi constans Vlpianus: non autem Cajus in tractatu de Adoptionibus, id breviter sentiens, quod & late tradidit Leonhardus Fuchsius in Aphorismos Hippocratis ex nostro Theophilo: ipse vero male sentiens non cupidos mulierum omnino castratos, quos etiam se audiisse amatores esse mulierum maximos, sed nihil posse Pythia Aphri Comici inquit. Facitque noster Marcellus dum scribit, pœna legit Corneliæ teneri eos, qui hominem libidinis, vel commercij causa castraverint, quos & Iustinianus acriter persecutus est nova lege

Græce edita, ipsos etiam castratos liberos faciens. Et alia constitutione Græca de monachis & ascetriis ipsarum monialium negotiis duos viros, vel si haberi possint, eunuchos idem præfici voluerat: ut scilicet in Israël, licet castratio prohibita esset, tamen reges eunuchos habuerunt: quos vel à gentibus receperant, vel qui propter infirmitatem facti erant tales: quos mulieribus præfecerunt: & fuerunt quibusdam uxores, ut Potiphari, cui videlicet tantũ testes adempti erant. Quales præsertim placuerunt impudicis mulieribus, cum spermate intus retento semper arrigerent, & viris zelotypis, qui ab his iniri malebant uxores, quam ab alio. Vnde B. Hieronymus inter uxorum molestias quas ex Theophrasto narrat, viris contingere, ponit exsectum spadonem, qui est usui in longam securamque libidinem illis. Hincq; Satyricus dixit:

Sunt quos eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. Dormiat ille

Cum domina. Sed tu jam durum postume, jamque
Tondendum eunucho Bremium committere noli.

Vbi de ſpadonibus ſe loqui multis declarat. Quorum vocabulo uſurpatum à Latinis, ut cæteri comprehendantur eunuchi, voluiſſe Vlpianum, alioqui recte intelligentem vim vocis, credere par eſt, quando etiam eunuchi nomine comprehenſos omnes ejuſmodi debilitatos & mutilatos conſtat, propriiſſime vero eos, qui apud nos dicuntur caſtrati. Quales Leonicus adnotat fuiſſe quoque fœminas apud Lydios: nimirum & illæ teſticulos habent, uti Melanchthon in Phyſicis docuit, Caſtitatem vero prorſus amplecti debent præcipue Chriſtiani: qui divinis iiſque certiſſimis præceptionibus cognitiſſimum habent, finem primarium matrimonii, eſſe generationem. Quod & ipſum nomen, nomē, inquam, non voluptatis, ſed dignitatis, & gravis energiæ, oſtendit. A matre enim dictū eſt matrimonium, ſignificans ut mater fiat, quæ in id accipitur, accipi oportere: ejuſque maximum effectum eſſe, ut

mater ſit, quæ in id (matrimonium videlicet) delecta eſt. Vnde, ut mittam cætera, quæ à Theologis & Canonici juris doctoribus tradita ſunt, clariſſime videre eſt, inter virginem, matrem domini & Ioſeph veriſſime, & maxime fuiſſe matrimonium. Fuit enim virgo nupta mater, & ut cæteræ ex ſemine maritali, ita ea ſola de ſpiritu ſancto, abſq; viri ſemine concipiens, & pariens, incorrupta permanente omnino virginitate. Etſi quidem, ſi verum eſt quod Hanno retulit, inſulæ cujuſdam fœminæ ſine marium coitu ſponte ſua fœcundæ ſunt. Et virgo nonnunquam, propinqua viri, etſi non intrinſeca emiſſione ſpermatis, integra virginitate, fit gravida, ut docuit B. Thomas. Quomodo ſi clericus nitens rem habere cum virgine, ipſam prægnantem redderet, pœna ſtupri, quamquam mitius, quam ſi conſummaſſet, teneretur, & nihilominus dotem præſtare, quaſi à ſe devirginatæ. Quia futurum eſt omnino, ut omnis talis devirginetur pariens: & juri conſentaneum eſt eum qui facit rem illicitam, puniri non ſolum de actu illicito, ſed & de eo,

Senten. Theolo. lib. 4. diſ. 30 c. omne itaque. & no. in Can. inſtitutum 27. q. 2.

Quolib. 6. art. 18.

quod

quod præter ejus intentionem fuit secutum, ut scite tradidit Bernardus Diaxius. At non à patre dicta est patrimonium (etsi caput est vir) hæc sancta societas & conjunctio: quoniam hic ex matrimonio fere non nisi voluptatem suscipit: imo vero, si molestias maternas spectes, nisi merum mel, mater vero maximos ac prope assiduos labores capit: quippe quæ fert conceptos liberos cum doloribus, laboribus, & ægritudinibus plerisque, decem ferè mensibus. Sicut Iocasta Annæi testatur, ita dejerans: Per decem mensium graves uteri labores. Et Alcmena Theocriti, ita inquiens: In prax. Cā. c. 77.

Οὐθὲν γὰρ νεμεσητὸν ὑπὲρ τέκνου γοάασθαι,
Μητέρα εἰδότος παθούσης ἐπὶ δέκα μῆνας ἔκαμνον,
Πρὶν καί περ τ' ἰδέειν μιν ἐμοῦ ὑπὸ ἥπατι ἔχοισα.

i.e. Nequaquam enim reprehendendum est super filio gemere,
Matre patiente, quoniam decem menses laboribus afflicta fui,
Antequam lucem videret, sub præcordiis meis gestans.

Et Maronis illud:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

 Quan-

Quanquam vulgo creditum & traditum novem tantum mensibus à muliere partum ferri, præcipue marem, fœmellæ vero decimo mense eduntur: ut docet Melanchthon. Ideo testans apud nos & in Topicis Ciceronis, cavet posthumo quidem decem mensium, ne non esset etiam prospectum fœmellæ, si ea forte nasceretur. Sed periculosa etiam decem mensibus terminata cautio: quoniam in undecimo, ac duodecimo, tredecimoque, si veteribus credatur, partus, etsi rarissime edatur. Quod diligenter adnotavit A. Gellius, quanquam Vlpianus Iustinianusque undecimo mense illegitimum esse partum definiunt, quandoquidem id certius est. Et certas, quam maxime fieri potest, leges esse oportet, & quod certius est, sequi. Certe undecimo mense mulierem parere posse, solus philosophorum veterum, quibus solicitius naturam perscrutari & cominus rimari, nec de libris tantum, verũ etiam de experientia propria & meditatione maxima æstimare, & veluti manu palpare, in usu fuit, Aristoteles ad scribendum nova & rara

[Margin: l. Gallus de lib. & post. ff. l. si. cod. tit C. l si de sd. li. ff.]

[Margin: Lib. 3. c. 16. l 3. de suis & leg he. ff [illegible] de [illegible] & [illegible] quæ [illegible]]

rara propensior recipit. Cæteri universi improbarunt, veluti perscrutator horum maximus Censorinus adfirmat. Quare frustra sugillat Iustinianum, & inde Barbatiam Alciatus suo paradoxo. Adhæc dicitur in sacris, si quando prægnans impleverit novem menses, non posse adhuc matricem ejus partum retinere in semetipsa, scilicet in sacris non videtur animadversum id quod excedit quidem etiã sæpe novem, sed non implet decem menses: quemadmodum nec cor hominis in lævam vergere, cum non in læva sit, sed ad lævam quidem vergat. Cujus rei testis est Aristoteles ac experientia. Dictum autem, Qui finxit hominem, & posuit cor suum in medio corporis. Scripsit etiam Herodotus mulieres, & novem, & septẽ mensium partum edere: nec omnes decimum explere. Qui ab aliquibus nonnunquam etiam expletur, quemadmodum annus decimus ab Elephante, sicut ait Plautus: Audivi sæpe hoc vulgo dicier, solere Elephantum gravidam perpetuos decem esse annos. Porro vero edit in anxietate, ac magno cum vitæ periculo

L. 3. c. 7. 4. esd. 4. & seq. & 16.

4. Esdr. c. 5.

conceptum & latum mulier. Vnde Tobias admonebat filium, ut memor esset, quot, & quanta pericula, passa esset propter eum in utero suo mater ejus. Pariterque hortatur Ecclesiasticus, ne gemitus matris suæ quisquam obliviscatur. Et ait Alcmena Theocriti, se malè parientem Herculem filium malos labores tolerasse. quanquam literis produntur quædam nihil tale sensisse. Testata est enim mater Mahumeti, filium nec in utero nec partu ullum fecisse dolorem. Sed hoc habent stolidissimorum Arabum fabulæ. Ciceronem etiam memorant editum in lucem nullo puerperii dolore, nullisq; materni uteri angustiis. Sed hoc quis credat? sententia divina dicta est mulieri, quod pareret cũ dolore. Evæ igitur veteres, uti scripsit Erasmus, pariunt cum dolore, quoniam cum pruritu libidinis concipiunt. Sed Eva nova, quoniam in conceptu voluptatis titillationem non sensit, jure creditur ab omni gestandi pariendique molestia fuisse immunis, quemadmodum & mortis, & nativitatis malis. Nam nec dolorem in morte

morte habuit, nec reatum ullum in nativitate contraxit. Aliasque sanctas mulieres non selegisse, ait Hieronymus, cum dolore peperisse, excepta Rachel: quæ; quia in via erat, & hippodromo, filium peperit doloris; in ipso partu deficiens. Sicuti evenit multis, præcipue illis, qui multos fœtus simul edunt. Quod naturâ valde miserabile est, & omni diligentia, præcipue collatis ad Deum precibus ac votis cavendum. Vero consentaneum est quoque mulieres quasdam robore, vel patientia maxima minus omnino, quam alias adfici. Vnde mirum illud ab Aristotele relatum, mulieres esse inter Ligures populos Illyricasque gentes, quæ dum pariunt non lecto ullo conquiescunt, neque ullo abdito loco concluduntur, sed inter laborandum aliquid & operandum, nullo præmisso gemitu, fœtum effundunt: natumq; infantem quam primum undis abluunt recentibus: & præter aliarum morem, illum scalpunt, ac fricant, domumq; referunt, ut non peperisse, sed invenisse videantur. Et eædem interim à cæteris domesticis operibus minime vacant.

Verum eam ipsam virtutem vel simulare cogit sæpe impudicas mulieres: ut sæpenumero est perspectum. Scribit quoque Albericus Vesputius in quadam insula, ubi aër est temperatissimus, mulieres esse, quæ ut pulcherrimæ, ita salaces: tamen neque puerperæ demissas habent mammas, non caperatam contractamque in ventre cutem: & ea, quæ honeste nominari non possunt, ita habent, ut dissimiles à virgine non videantur: ut inde dixerit aliquis, vel nullum vel minimum dolorem in partu sentire eas. Quod mihi non persuadetur. Tandem vero nutrit mater infantem tam laboriosè & periculosè editum, per multas tribulationes & discrimina non parva, ut palā est cunctis. Quamobrem ea magis amare filios dicitur, quam pater, quandoquidem eas res impensius amare solemus, quas majore acquisivimus labore, tum quia magis scit esse suos, quā pater, quem illius pudicitiæ fidere oportet. Id quod Aristoteles scripsit, & nostrorum commentatorum aliquis adnotavit. Et sic consummat officium suum mulier, quod dicitur maximum,

jore. inst ad Tertul. col. 2 L. quæritur. de ædil. ed. ff.

ac

ac præcipuum, concipere videlicet ac tueri conceptum. Nec parvi apud Deum meriti mulieri hoc putandum est, quod admonet Hieronymus, Bene filios educare. Quo perversi sensus nonnullæ corripiendæ sunt: quæ nihil minus dignum occupatione æstimant, quam filiolos curare, tempus omne se perdere, quod impendunt in illos, querentes. Quod probæ vel natura vel institutione non faciunt, in primis id, quod sui est officii, magno cum adfectu & ingenti hilaritate, agentes, dum etiam viri extra agunt, quod convenit, facile sinentes ipsas matres domi tædia familiaria & liberorum præsertim insumere. Proinde dictum matrimonium inquam, non patrimonium, ut & nostro in jure habetur, quoniam soli matri ante partum onerosi sunt liberi, in partu dolorosi, post partum laboriosi. Idque dicitur quasi matris munium, ut habet Petrus Gara, & tradidit Innocentius primarium sydus micans inter omnes juris interpretes. Etenim nemo ignorat, quod Platonis Epinomis ait, quanta sit in prima generatione animalium difficultas, in con-

c.2 de cotroverf. in fid.

In c.juvenis. de sponsal.

conceptione & utero primum, deinde in nativitate & partu, postea in nutritione atque educatione. Quæ per mille labores fiunt matris maxime: quo majore oportere eam studio prosequi, quæ partus doloribus distenta fuit, quæ peperit, quæ nutriit, quam patrem, qui succisivam tantummodo libidini operam accommodans, filii generationem procreavit, inquit Iustinianus. Cæterum quod generatio causa sit matrimonii, ut inde castitas debeat observari etiam à conjugibus maxime Christianis, beatus Ignatius in hęc verba testatur: Deo quoq; grata est hominis generatio. Proinde dictũ mulieres noli execrari: ipsæ enim pariunt & nutriunt. Diligi ergo oportet eas generationis causa tantum in Domino: quia sine muliere vir omnino generare nõ potest. Honorare ergo oportet eas, ut cooperarias generationis: quia neq; mulier sine viro, neq; vir sine muliere aliquando originem sortiri poterit. nisi in solis illis protoplastis: quia corpus à Deo ex quatuor elementis est factum: Eva vero de latere Adæ: gloriosum vero habitaculum Domini de sola virgine.

Novell. 162.

Ad-

Adhæc, in epiſtola ad Philadelphienſes, ait, Petrum, & Paulum, & quoſdam alios Apoſtolos non libidinis gratiâ, ſed poſteritatis ſubrogandæ, conjuges habuiſſe. Sed quod Paulus conjugem habuerit, falſum puto. Quanquam etiam multis id ſibi probare videatur, capite quodam de inventoribus rerum, Polydorus Virgil. malo enim credere D. Ambroſio, qui habet, Apoſtolos omnes excepto Ioanne, & Paulo, conjuges habuiſſe: & D. Hieronymo, qui identidem ſæpe teſtatur, & argutiſſimè comprobat, non audiendos eſſe, qui Paulum uxorem habuiſſe confingunt. Crediderim ergo corruptas epiſtolas Ignatii, ſicut de Beati Cypriani & Origenis operibus tradunt Ruffinus & Picus Mirandulanus. Et ait B. Ambroſius ſolere tergiverſatores, ut fallant, ſub nomine clari alicujus viri, epiſtolam fingere: ut autoritas nobis poſſit commendare, quod per ipſum recipi non poſſit. Inquit etiam Petrus presbyter Alexandrinus, retulitque Nicephorus monachus in eccleſiaſtica Hiſtoria, Timotheum Herulum ſcripta Magni Cyrilli, cum non edita repe-

reperiſſet, in multis locis adulteraſſe, multisque teſtimoniis Pighius comprobavit, ſimulac Nicenum conciliũ celebratum fuit ſeptuaginta canonibus, quibus univerſa propè diſciplina publica eccleſiæ ordinata regulataque fuerat, conditis, effectum ab hæreticis, ut de iis ipſis canonibus dubitaretur, & ut partim exuſtis, partim corruptis exemplaribus, nihil nobis relictum ſit, quam fragmentum relatum à Ruffino in eccleſiaſtica Hiſtoria viginti canonum ad quidvis inefficacium. Præterea non ab re pleraque ait Sixtus Philoſophus Pythagoricus in Aureolo Enchiridio: nubere, & filios procreare, inquit, peſſimum ducas utrumque. Sin autem prælium ſciens pugnare velis, & uxorem duc, & filios procrea. Fidelium conjugium certamen habet continentiæ. Hoc eſt quod dixit Paulus: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Sin autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi. Itaque B. Hieronymus adverſus Iovinianum defendens cælibatum nuptiis meliorem,

rem, inter cætera mirum hoc adfert dilemma: odiosa ferri non potest, amabilis amor inferno & arenti terræ incendio comparatur per Salomonem in proverbiis. Vbi non de meretrice, non de adultera loquitur: sed amor mulieris generaliter accusatur: qui semper insatiabilis est: qui extinctus accenditur, & post copiam rursum inops est, animumque virilem effœminat, & excepta passione, quam sustinet, aliud non sinit cogitare. Sixtus vero rursum ita inquit: Nihil propter solam libidinem facias. Libidinem necessariam tanquam non necessariam ducito. Id quod etiam dicit Paulus, ubi habet: Qui habent uxores, tanquam non habentes sint. Ille adhuc: Rara sit, ait, oblectatio tua, & opportuna. Adulter etiam propriæ uxoris est omnis impudicus vel amator ardentior. Quippe, inquit Cælius Rhodiginus, in uxorem alienam omnis amor turpis, in suam minus. Sapientis est uxorem amare, sed judicio, non affectu libidinis, pruritus rationis examine reprimendi sunt: nec præcipites ferri in concubitum debemus. Fœdius nihil, quam

uxorem amare, tanquam adulteram. Refert Seneca à se cognitum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus alligabat, & ne momento quidem præsentia ejus carere poterat, potumque omnino nullum sibi nisi alterutrius prægustatum labris vir & uxor hauriebant. Alia item pleraque inepta faciebant. Origo quidem amoris honesta erat, sed deformis excessus. Nihil autem refert, quam honesta causa quis insaniat. Quod est à Gratiano in Rhapsodia sua relatum. Hujusmodi sunt & qui intemperata illa benevolentia suas vel amatarum personarum utilitates magnas impediunt. Quemadmodum de amicis ait Cicero, notans eos, qui absentias ferre nequeunt; vel ignaviter & cum dispendio notabili tolerant. Quod de multis cecinit in epistolis Ovidius. Hincque Catulli illa:

Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui meique.
Quare si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens roget morari:
Quæ nunc si mihi vera nuntientur,

Illum

Illum deperit impotente amore.

Et illa:

Sed te ferre jam Herculis labos est,
Tanto te in fastu negas, amice?
Dic nobis ubi sis futurus. ede,
Audacter committe, crede, licet,
Num te lacteolæ tenent puellæ?

Tum Tibulli:

Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ:
Et sedeo durus janitor ante fores.

Atque Propertii non ab re illud:

Nam sine te nostrum non valet ingenium.

Et dicitur in sacris, non posse homines separari à mulieribus. In quo sensualium videlicet hominum affectus exprimitur, non ratione utentium. Vnde ex habitatione separata conjugum non præsumitur indignatio animi, nec divortium, nec jurgium inter eos, cum possint diu seorsum habitare, & honorem matrimonii habere, ut est notatum à nostris. Tametsi etiam jurgii causa, periculi vitandi gratia, ac ne quid deterius illis contingat: possunt dispensari ab Episcopo conjuges, ut separatim vivant. Neque

3. Esd. 4.

L. cũ hic. status §. si mulier & Mari. & ibi Bal. de don. inter virum, & ux. ff. c. literas in fi. &.

Ibi ao. de rest. spol. Deut. 24 eod. lib. c. 20.

que alter tenebitur alteri durante periculo : quod jure constat. Verum in Hebræorum libris lepidissime legitur illud quoque : Cum accepit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quidpiam necessitatis injungetur publice : sed vacabit absque culpa domi suæ, ut uno anno lætetur cum uxore sua. Et alibi ; Quis est homo, qui despondit uxorem, & non accepit eam ? Vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Sed ad hoc referendum illud, prius à nobis relatum, Lyra censuit : ut scilicet intelligatur, secundum quod ait D. Augustinus hoc debere intelligi, videlicet dictum esse, ad explorandos virorum animos, cum vulgo his affectibus teneantur homines, ut quisquis animo his tenetur adpareat, dū revertitur, ne propter hoc minus fortiter agat, vel non agat scilicet penitus aliquid, sed potius alios suo exemplo reddat deteriores, & faciat, ut à prælio divertant, sicut ait Hugo Cardinalis, & Lyra multis tradit, ipseque contextus aperit, ubi habet postea. Quis est homo formidolosus

&

& corde pavido? vadat & revertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ille perterritus eſt. Neque illud penitus jubetur, ſed admonetur unuſquiſque ſtrenuitatis, eo modo, ut magis timiditatis & ignaviæ pudeat. Vnde, *non procedet*, exponit, non cogetur, Cardinalis. Idque inquam, ut majus malum vitetur, conceditur: ne illorum acceſſio plus obeſſet, quam prodeſſet. Quod idem ait. Nunc vero ſecundum eundem, dici poteſt eam legem non tenere: quia non continet pietatem, ſed potius pigritiæ occaſionē: quæ magnum malum eſt. Vnde in proverbiis Salomonis dicitur: Vſquequo piger dormies? uſquequo dormitabis? quando conſurges ex ſomno tuo? paululum dormies. Paululum dormitabis. Et alibi magis ad rem: Nunquid fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos ſedebitis? ſeveritas & caſtigatio proba timiditatem excutit, ut nullum majus malum ex ea timendum ſit, propter quod cavendum, illi neceſſario parcatur. Alioquin nemo uxoratus prorſus ad bellum eſſet aſſumendus: quoniam eſt

timi-

timidissimus quisque uxoratus, ut Sialandicus in Danica historia inquit: At justis tantummodo affectionibus indulgendum jus etiam nostrum habet. Sed erant olim, qui uxores & pretiosiora quæque secum ferrent, ad bellum tendentes, nedum ut adulteria vitarent, verumetiam ut fortiores fierent periculi metu. Atque plures reges Francorum uxores secum in bellum duxisse referuntur, ut Philippus, primus ejus nominis, & sanctus Ludovicus, ac alius quidam ejus nominis, Junior dictus. Etsi sæpe, ni provido & forti animo obsistatur, impedimento magis sunt mulieres, clamoribus ineptis conturbãtes omnia, uti notat P. Aemilius. Verum enim omnino dignum ac commodissimum est, ut simul sint semper, quantum fieri potest, conjuges; quod significabatur olim cingulo ex lana ovis confecto, quo nova nupta præcingebatur. Quod vir in lecto solvebat, ut quemadmodum sibi cingulum hæserat, sic sibi deinceps vir adhæreret, & secum junctus vinctusque esset, à quo & quasi cingeretur. Ideoq; hasta caput nubentis comebatur, quæ in cor-

corpore gladiatoris stetisset abjecti occisique: ut quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro esset, ut Festus ait. Et lege Canonica scriptum est: Cum vir & uxor una caro sint, non debere alterum sine altero esse diutius. Certè si diutius non abfuisset ab uxore, Gallorum regum optimus Ludovicus, Philippi Augusti filius: cum à bello Narbonensi seu Albigensi dicto, adversus hæreticos gesto, rediret, & priapismo teneretur, non decessisset, ut fecit. Quanquam digna principe mors fuit, qui hac vita spoliari maluit, ut par erat: quam Deo capitaliter peccare. Sed & lege civili dicitur: Quis enim ferat liberos à parentibus, a fratribus sorores, à viris conjuges segregari? Equidem nihil naturæ acerbius, quam separatio unitatis, ut ait Perbonus. Atque licet per ætatem senilem impotentes sint coitus: conjuges debent tamen una morari, & debet separatus alteri petenti restitui, ut est notatũ à Baldo. Hocque verum, etiam si petitus ab uxore, nunc Papa esset per imprudentiam factus. Nam debet illi ut

c. I. de conjug. lepr.

L. possessionum com. utr. ju. C.

In c. ex transf. in fi. de rest. spol.

Glos. in c. si quis pecuniæ. dis. 79. Pan. ibi,

erat

Licet nō. 4. de elec Ioan. And. in c. 5. de regular.

erat restitui, renuntiatione seu dimissione Papatus facta: seu Papa existens debitum conjugale reddere tenetur, atq; diligenter cavere, ne conjugem excruciet, non facile, & ad nutum, ac eum desiderare, sed pudore impediri, ne petat, videtur, id debiti reddens, sicut docent Theologi, ac fieri sibi volunt viri: quorum impudens & imperiosa audacia nulla eget mulierum cautione, quæ tamen etiam cum petuntur à viris suis nil morari debent, quo tardius reddant id debiti. Vnde uxor in sacris dicitur שגל à verbo coiit, quod est שגל eo quod parata sit viro ad coitum, ut Levita docet. Quanquam si cum petitur, menstrua patiatur, non debet admittere virum, rem exponens: nisi sentiat se nihil proficere posse, ut latius Theologi tradunt. Vir autem irasci non debet, sed æquo animo considerare: quod creditor non debet debitorem adire cum sacco, statuens id accipere continuo, quod debetur omnino, etiam si id sibi videatur. Quandoquidem:

L. quod dicimus. de sol. ff. gl in cap ad ejus dis. 5.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου. *i. e. Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.* Magis

Magis autem curare debet ipſe, ut promptus mulieri ſatisfaciat, vel fragilitatis compaſſione, vel periculi metu. Propter quod ſcripſit ad Corinthios Apoſtolus: Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis orationi. Et iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Ac irrationale animal taurus, hac in re quodammodo rationis capacem hominem admonet. Qui licet alioquin temperans videatur, & poſt conceptum vaccæ cum ea non coëat, donec peperit: ſi tamen expetatur à bove mugiente, etiam ſi longius ſit, audit & adcurrit: nec minimum moratur deſiderium ejus, ut Orus teſtatur. Nec deſunt exempla male dilati ejuſmodi debiti magno cum maritorum imprudentium malo & damno. Refert B. Antoninus, uxorem cujuſdam nobilis, cum debitum maritale ſacra paſſionis Domini hebdomada peteret, neque obtineret, adiiſſe mariti fratrem, & cum, ut par erat, rejiceretur ab eo, ſtrangulaſſe ipſum. Scribit in hecatomythiis Abſtemius, quendam uxorem ducentem perſua-

ſum, ne tribus prioribus noctibus rem haberet cum ea, ut eſſet in pecoribus fortunatus, ab uxore moræ impatiente, tertia nocte, ſecuri aggreſſum & interemptum. Quamobrem recta ratio hic eſt diligentiſſimè conſulenda: non Thalmudiſtarum fatua curioſitas, dicentium: unicuique in hoc aſſignari ſuas horas: nempe vacantes quidem otio, quolibet die uxori debitum reddere debere: at opifices bis in hebdomada: aſinarios ſemel, camelarios ſemel in menſe: nautas tantum bis in anno. Et ſemper conandum eſt ſimul à conjugibus, ut quam maxima fieri poterit, caſtitas ſervetur in matrimonio, nec quicquam impudicum, immoderatũ & non conveniens unquam admittatur. Quod ſi forte aliquando contra fiat, non ideo (quod nonnulli inſidiis Diaboli paulatim tracti ad pejora faciunt) adulterent, quaſi non majus ſit peccatum aliam inire, quàm ſuam laſcivius. Quando, ut tradunt Albertus Magnus cognominatus, & B. Antoninus, nihil ejuſmodi inter conjuges, ſi modo vis naturæ ſervetur, eſt per ſe peccatum mortale: quoniã gene-

generatio fieri potest: sed est signum mortalis concupiscentiæ: quæ non est temere præsumenda seu judicanda: quæ etiam si adsit, non tam magnum peccatum est, quam adulteriũ: quo sacramentum conjugale violatur, & pluribus personis fit injuria. Ac sicuti scripsit D. Fulgentius, culpabilis usus matrimonii, non in conjugali concubitu reperitur: sed in excessu concumbentium. Facile tamen impetrat nuptialis integritas veniam, retenta fides thori maculam diluit, quam contraxit infirmitas carnis.

CAP. VII.

De perpetuo conjugum Amore.

POrro & absentes conjuges ita se ament, ut decet, fidem adinvicem servantes: & potius mutua memoria, quam aliorum oblectamentis reficiantur. Sicuti Plinius Cæcilius, & ejus Calphurnia fecisse docentur Epistola illius ad hanc, quæ sic habet: Scribis te absentia mea non mediocriter adfici, unumq; habere solatium: quod

pro me libellos meos teneas, sæpe enim in vestigio meo colloces. Gratum quod his fomentis acquiescis: invicem ego Epistolas tuas lectito, atque identidem in manus quasi novas sumo: sed eo magis ad desiderium tui accendor. Nam cujus literæ tantum habent suavitatis: hujus sermonibus quantum dulcedinis inest? Tu tamen frequentissimè scribe. Licet hoc ita me delectet, ut torqueat. Nec dissimile illud vel fictum, quod maritus probus dicere vere possit:

Cuncta tuus sepelivit amor: nec fœmina, post te,
Ulla dedit collo dulcia vincla meo.

Quod Propertius cecinit. Et illud Ausonii:

Vado tamen: sed dimidius vado minor ipso
Dimidio, nec me jã locus unus habet.
Nam tecum fere totus ero quocunq; recedam.

Neque sit oportet quicquam, quod conjugum honestissimum amorem disiungat vel diminuat, vel extinguat. Nam ut Ovidius ait:

Turpe vir & mulier juncti modò protinus hostes.

Atque

Atque ita se inivcem amantes sine modo perpetuoq; ament conjuges: quando ut ait Propertius:

Verus amor nullum quærit habere modum.
Non satis est ullo tēpore longus amor.

Vnde Ausonius:

Vxor, vivamus quod viximus: & teneamus
Nomina, quæ primo sumpsimus in thalamo,
Nec fiat ulla dies, ut cõmutemur in ævo,
Quin tibi sim juvenis, tuque puella mihi.
Nestore sim quamvis provectior, æmulaque annis,
Vincas Cumanam tu quoq; Deiphoben;
Nos ignoremus quid sit matura senectus,
Scire ævi meritum, non numerare decet.

Et legitur apud B.Gregorium Turonensem, mariti ejus, qui uxorem virginem diu secum habuisset & sepelivisset, tandem vita functi corpus alio remotoque sepulchro locatum, mane postero inventum in altero conjugis sepulchro: ut perpetuo illos amore junctos corpus etiam mutum significaret,

caret. Non tamen ideo non cessabit gemere conjunx pari mortuo, uti aërea turtur ab ulmo. Neque certe ob id est moriendum, veluti monere videntur illi Tibulli versiculi:

Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere & erepta conjuge qui potuit.

Neque abstinendum matrimonio, quod anima defuncti mariti, quæ in bonis demorari putatur, male afficiatur, & tristetur: quod quidam stultè dicunt. Sed utique fas est præteritos semper amare viros, ut Propertius inquit. Et, ut ait Q. Septimus: maritus animum honestę uxoris possidet etiã mortuus, tum honorabilior, quia mundior. Is certe verus honos est marito defuncto ab ea, quæ eius uxor fuit, & pietas vera illi impenditur, cum uxor eius omnia & facta & dicta sæpius recogitans pro malis Deum precatur, bona vero imitatur, & figuram animi eius probi complectitur magis, quam corporis: quod ut simulachrum eius imbecillum est ac mortale: verum forma mentis æterna. Cuius figuram in animo assidua contemplatione velut insculptam habens,

bens, quasi præsente marito frui debet, & æquo animo spectare diem illum, quo resumtis corporibus animæ bonæ spiritualiter congaudebunt, non per impatientiam vel stultitiam se enecare: quomodo revera se peremit Senecæ Philosophi uxor: quæ videns maritum ad necem trahi, quã per sanguinis amissionem sibi inferri elegerat, & ipsa sponte cum marito mori voluit: neque ab ea intentione divelli potuit verbis ullis mariti, ut par erat, dissuadentis: nisi Neronis accessisset imperium. Sed & mariti scilicet charitatem parem debent uxoribus mortuis, ut jus denotat. Licet non sint uxores amplius. L. quod si nulla, de relig. & s. ff.

CAP. VIII.

De amore ex partu proveniente, & prima ejus cura.

MAximè verò diligere se mutuò convenit coniuges, si Deus illis prolem dederit: matrimonii stipendium & præmium peramabile nimirum, uti scripsit Tragicus Seneca. Conciliat animos coniugum partus

ſerè. Et Euripides rem efficacem, ait, peperiſſe, vimque maximam amoris adferre omnibus communiter, uti pro ſuis ſumme elaborent liberis: quo iure beſtiæ quoque cenſentur. Aſina enim per medios ignes adcurrit ad fœtum: ut de cæteris nihil dicam, fœtus ſuos quã maximè curantibus. Proinde turpe eſt matrem negligere filios, ut Eraſmus ait. Et uti Baldus noſter inquit. Qui filios habet, ſtudeat pro eis alendis, ſicut ſtuduit gaudiis. Et primum quidem, ut B. ſcripſit Ambroſius, parentes gratias agere debent pro ortu filiorum. Divinum enim munus, fœcunditas eſt parentis: & prima conjugii ſtipendia militiæ ſuæ, filii ſunt. Debentque parentes, dempto omni faſtu & ambitione, ſtatim ac nati ſunt illis liberi, quam cito fieri poteſt, baptiſmati dare, nec tantillum differre, maximo omnium periculo interea vero etiam non abhorrentes, quod & quidam non recte faciunt, baptiſmate protinus tingit, τὰ βρέφη, ut B. Dionyſius habet, πάσης ἀποπλάμψα πλάνης ϗ ἀνιέρυ ζωῆς ἀπείρατα. Quamobrem ſancti dicuntur ſtatim nati filii Chriſtianorum:

Cõſ. 231 tom. 4.

i e. infantes omnis erroris exortes, atque impuræ vitæ expertes.

rum: quasi canditati sint, ut Tertullianus scripsit, fidei, exambientes baptismum spirituali quadam & sacra ac excellenti nobilitate. Et hoc usu obtinet ecclesiæ catholicæ, quod ex antiquâ ejus & prima traditione B. Cyprianus censuit, cum suis sex & sexaginta collegis: nulli hominum nato misericordiam & gratiam Dei, id est baptismum, esse differendum. Et tum magis, inquit, circa infantes ipsos, & recens natos observandum est, qui hoc ipso curam divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur. Idemque ait: Non aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Itaque etsi adhuc infans è partu novus est, non ita est tamen ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari: quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare: quas in homine modo formato & recens nato quodammodo exosculamur, quando id quod

Deus fecit amplectimur, ac vel inde memor esse debet quisque deponens omnem malitiam, & dolum omnem, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modo genitos infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscere, ut monet B. Petrus.

Cap. IX.

Non propterea quod sterilis sit uxor, non amanda.

At vero etiam si uxor marito liberos non pariat, non ideo amari non debet. Quid enim peccat: sicut ea, quæ paucos (ut habet Iustinianus) peperit, vel fœminas tantum vel mares? Est enim quædam privatim dissociatio corporum, & inter se sterilis: at ubi cum aliis junxére, gignunt. Alii aliæque fœminas tantum generant, aut mares, ut ait Plinius. Potest accidenti quoq; aliquo malo contingere sterilitas: ut si venæ quædam retro aures existentes secentur, tum medicamentis: ut ex Salice, cibo vel potionibus, & compluribus similibus, ut plerique docuerunt. Sed

§. sed nos inst. de Senat. Tert.

&

& malefici dæmonis artè hoc malum evenire, ac coitus impotentiā passim docemur. Qui tamen ferè nil potest in fideles conjuges, & vitio suo auxilio Dei non destitutos. Neque enim est quicquam quod sacros lædat amāntes, ut verbis utar Propertii, probe in hoc post cæteros concludit Vlricus monitor, diabolum neque per se, neque ministerio hominum posse elementis hominibusve, seu aliis animalibus nocere, vel homines ad generandum impotentes reddere: nisi quando occulto Dei, sed nunquam injusto judicio, vel ob pœnam delictorum nostrorum, vel ob meritum tentationis nostræ augendum: sive ob divinæ majestatis gloriam magis timendam, & colendam, seu ob aliam nobis incognitam causam sævire permittitur. Quare separationem petente uxore, idem refert se patrono, sæpe judicatum: ut quos relatione medicorum constabat non naturâ, sed maleficio impediri, trienniô adhuc cohabitarent, conjugale opus tentantes, & majoribus, quam anteà devotisque omnino eleemosynis & jejuniis, ac precibus utentes: ut qui

institutor est matrimonii Deus, hujusmodi maleficium ab eis auferre dignaretur. Quod juri consentaneum judicium utique fuit. Item vero pinguibus mulieribus minimeque laboriosis sterilitatem accidere Hippocrates censuit, dicens, mulieres Scytharum corporis pinguedine & humiditate steriles fieri: præ quibus uteri earum genitale semen nequeunt continere. Quin ipsum uteri os præ pinguedine concluditur, ut nequeat semen suscipere. Famulæ uero earum viris misceri plurimum gaudent, in uteroque conceptum continent; propter corporis exercitium frequens, carnisque gracilitatem. Idemque Aphorismo quodam generaliter tradidit steriles esse uteros frigidos & densos, & calidos admodum, atque immodice siccos, præhumidosque. Temperantia & fœcunditas indiget. Neque enim si assiduo & intemperantiore coitu conjuges utantur, generatio fit, aut fæminæ nonnunquam fit, non masculi: qui ex sicciore semine nascitur, calidiore & solidiore, cum fœmellæ sit materia humidior, frigidior, laxior, debiliorque, ut docet Phi-

C.5. & si & ibi no. de frig. & malef.

Philippus Paraphrastes Hesiodi, tum cæteri veteres ac neoterici Physicæ tractatores. Planius vero Philelphus inquit: Quo semen calidius est, eo est ad mares filios procreandos accõmodatius. Quare usu fieri videmus, ut senes magis, quã juvenes gignant mares, quod scilicet rarius coëant, quam juvenes: quodque Natura in iuventute potentius est, id nimio Veneris usu reddatur imbecillius & frigidius, quodammodo violata naturâ: quæ, ut ait Aristoteles, semper nititur ex pluribus agere, quod melius est: sicque ut vir generetur magis, quam mulier: masculus, quam fœmina. Quæ paterno vitio quodam generatur, siquidem hoc vitium est, quod ait Iustinianus, id quod semper non est, quando & à mulierũ intemperatura evenire possit, etiam præter naturam, simili intemperantia: cum & ipsæ ac maxime quidem semen ad generationem conferant. Vnde meretrices nunquam concipiunt, pariuntvé aut perraro. Quod & variorum accidit in illis magis seminum perturbatione, sed nec mulieris quidem semper vitium est aut viri, ut generetur L.pen de le.har.C

tur fœmina, aut omnino vitium non est: quando & Dei voluntate necessaria fœmina, & natura utrumque corpus edidit, ut maneat suis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, ut uno semoto alterum corrumpatur. Nam si alterum, ut vel masculi tantum generarentur, unde generaretur non fieret, ut præclarè scripsit Princeps Iustinianus. Quanquam Ben Syra Hebræus, Ieremiæ Prophetæ nepos, ait, charos esse omnibus hominibus masculos. Vnde si filia nascatur alicui, atque roges, quid uxor peperit, respondere solet submissa voce, demisso capite, compressis in terram oculis: Filiam peperit. Si vero filius natus est, respondet disertè, hilariter, bene meditatus exporrectaque fronte: Filium peperit. Sed rationes illæ non adeo valent, ut tantopere de mulieribus consortibus quis debeat perturbari, vel posteaquam Dei filius in mundo per mulierem inter nos est visus. Qui & die Paschæ sancto gaudium attulit fœmineo sexui, & benedixit eas, ut ait Theophylactus. Pessime igitur (ut pie nimirum ait impius licet Muhamedes)

D. l. pen. & l. 4 de lib. præter. C.

medes) cum hominũ cuipiam nascitur filia, suam inde denigrat faciem, suspiriaque trahit, & ab hominum conventu recedit, usquequo deliberet, utrum eam natam teneat, an vivam sepeliat, vel quocunque modo deleat. Heu, quam pravũ est iudicium! & quam iniqua similitudo eorũ, qui minime credunt adventui futuræ diei! Cæterum, sterilitatem removent Sinuessanæ aquæ, & multa factu facilia, quæ docent medici: ut Samonicus inter antiquos, & inter recentiores, Fuchsius, præcipue vero Iason Pratensis Ziriceus Zelandus, libro huic rei peculiari, cui titulum fecit, de sterilitate arcendâ, & progignendis liberis. Ea vero ut valeant, efficiendum devotis præ cæteris, precibus & eleemosynis, ac ieiuniis, omniq; proba Dei & suorum veneratione: ne Deus obsistat fœcunditati, sed potius reseret, cuius voluntas sæpe clausit vulvas generatrices, atque aperuit, ut sacra docent. Vnde admodum stolidè & imprudenter agunt, qui uxoribus adscribunt sterilitatem, vel fœcunditatem, quasi nescientes, quod à naturæ conditore fiant universa: & quod

neque

neque coitus, neque aliud quiddam ad procreandos pueros sufficere potest, si non cooperetur manus superna: & naturam ad procreandum excitet, uti scripsit D. Chrysostomus. Imputanda vero magis esset maritis sterilitas, qui pulcherrimas volunt vel ditissimas, potius quam fœcundas. Et olim quidem ex matrimonio quęrebatur proles. Nunc à plerisq; uxor habetur libidini: & scrophæ vocantur, quæ numerosè pariunt. Apud veteres quoque etiam medicamentis provocabatur fœcunditas: nunc (pro scelus) notiora sunt pharmaca, quibus accersitur abortus, ut Erasmus inquit. Et Nux ipsa Ovid.

Nunc uterus vitio est, quæ vult formosa videri.
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.

Quibus etiam in mulieribus notantur viri, qui vel eas ad fœcunditatem negligendam inducunt, vel ab eius neglectu non revocant, & præ cæteris curare cogunt: cum tanquam prudentiores præfecti illis sint magistri ac domini illarum facti. Ex quo caput mulieris vir dicitur, divino ac humano

mano iure. Quæ & docet Gratianus. 33.q.1.

CAP. X.

Quando cessare debet amor conjugalis.

TUm vero non amare coniugem licet coniugali amore, si sit adultera: & conveniens est, si sit visa incorrigibilis, quod aiunt, à se eam expellere. Neque confidere se posse talem asservare vir debet, quando neq; argui id possit: ac se malle, si necesse esset, anno integro saccum plenum pulicibus, quotidie in pratum deferre, solutoque sacco, eas inter herbas pascere, & vespere facto omnes domum reducere, quam uno die impudicam mulierem servare, eum, qui expertus esset muliebres astutias, testatum Abstemius refert, & sane censuit D. Hieronymus adulteram à marito teneri non debere. Et dixit B. Chrysostomus, sicut crudelis & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est injustus, qui retinet meretricem. Et patronus turpitudinis est, qui crimen celat uxoris, ut jure est com-

c ſicut. &c. 32. q. 1. c. quēadm. de jure-jur.

comprehenſum. Eſtq; mœchus, qui mœchos conſervat, ut & denotat Triephon Luciani. Et illud B. Chryſoſt. in proverbiis ſacris habetur ita: Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens. Quod tamen in Hebræo non habetur, ut pleraque alia, quæ ſeptuaginta interpretes addiderunt, ut commoda. At non amari vel dimitti, ſecundum quod prædictum eſt, uxorem debere à viro, intelligendum eſt, ſi vir talis etiam non fuerit. Quod ſi adulter quoque vir ſit, dimittere non poteſt uxorem adulteram: ut multis probat

32. q. 6.

Gratianus. Quod ſi dimittat, etiamſi ipſe ſit occultus adulter, mulier vero publice adulteret, dimittens graviter peccat. Quod tradidit Alexander Arioſtus. Nec dubium eſt in his omnino parem eſſe viro mulierem, ut ſimiliter ab ea vir dimitti poſſit. quod primum docuit Apoſtolus ex divina traditione, inquiens: τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, οὐκ ἐγὼ ἀλλὰ Κύριος, γυναῖκα ἀπ' ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι. ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος, ἢ τῷ ἀνδρὶ καταλλαγήτω. καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι. i. e. Iis, autem qui nuptias contraxerunt, annuncio, non ego, ſed dominus,

ne. mu-

na mulier à viro separetur, sin autem separetur, innupta maneat, non vero virum mutet. Neque vir mulierem dimittat.

Et plane idipsum tradunt Canones in Rhapsodia Gratiani. e praecepit 32. qō.5. not in c. apud 32. q.1.

PERORATIO.

Amabiles nuptiae. Quibus bene precandum.

DIxi ego: amabiles statui nuptias, atque ut est in sacris, honorabile conjugium, & torum immaculatum. Ex quo generatio casta quoque pulchra est, & immortalis memoria illius: quoniam & apud Deum nota est & apud homines. Quod maxime desiderant conjuges. Etenim inter virum bonum, & fidam uxorem omnia succedunt ad vota, ut ait Perbonus. Quibus dicere par est, quod Flacci lyra cecinit:

Fœlices ter & amplius,
Quos Irrupta tenet copula: nec malis
Divulsus quarimoniis
Suprema citius solvet amor die.

Ac quod est apud Catullum:

Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

At boni conjuges bene vivite,

Munere & assiduo validam exercete juventam.
Et quod dixit Sidonius:
Fœliciter ævum
Ducite concordes: sint nati sintque nepotes,
Cernat & in proavo sibimet quod pronepos optet.

Pariterque sicut in sacris dictum reperitur: Crescite in mille millia, & semen vestrum possideat portas inimicorum suorum. Superest ut tu dicas de improba illa Venere. FAB. Videtur melius te id posse exequi, cui adhuc recens memoria fervet proximiori materia. GOD. Certè non committam, ut qualisqualis à nobis susceptus ordo perturbetur. Accipe placidè, ut soles omnia, hanc tuam sortem. Scis tibi non defuturum Deum, quem invocasti ab initio, ac me, si egeres, sed etsi lubeat, pro facultate suffragaturum. FAB. Scio sed desidero hic communem amicum nostrum Thomam Maletum: non tam ut hoc levaret me onere, quam ut commodissimè tertius, hanc tertiam partem iniret, & gravis candidissimusque adolescens, tandem adversus impurissimos amores dissertaret.

GOD.

GOD. Benè dicis: & sanè advocandus erat, ni absens esset Lutetiæ, studiorum gravissimorum causâ: vel certè Ioannes Trullus, ni Baldo nimis ac Bartolo distineretur. Ioannes Vilaris, nunc foro totus implicitus est. Cæteri ad patriam repedarunt. Tu vero interea dicito quæso. FAB. Nihil moror.

PETRI

PETRI GODOFREDI, DE AMORIBUS, LIBER III.

PROOEMIUM.



On desistendũ à præcipiendo, quod multi eadem de re præceperint, & obaudiant mali. Malos quippe amores plane confutavit Platina quodam Dialogo. Multa de cavendo amore stulto scripsit Iacobus Magnus. Pleraq; Plinius ac Ruellius, quæ amatoribus conveniant naturalia medicamina adtulerunt: & tu, ut mittam alios, nonnulla ejusmodi tetigisti in superioribus pro materiæ conjunctione. Porro ut Propertius ait:

Turpis amor surdis auribus esse solet.

Nunquid ideo sermonem medium abrumpemus? at nefas esse ajunt mancas dimittere fabulas, nullasque reci-

recipit prudentia metas, ut ait Claudianus. Et apud Esaiam legimus dictum populi emendatori: Clama, ne cesses. Et in Euangelio: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea, ait Dominus. Huic maximo quis non obediat? Quis non suffragetur, quantum potest, optimo? Quis de hujus misericordissimi gratia non speret futurum, ut conatu pio vel aliquis errantium, quorum misereri oportet, adducatur? Ac licet illis non sit profuturus quis probus, non libenter vitia quis notet, virtutem prædicet, vel ob ipsius peramandum splendorem, & suam suique similium continuam admonitionem & consolationem?

CAPUT I.

De amore, qui est contra naturam.

MAlus igitur in primis amor est, ac pejus omni amorum alio scelere, in alterius generis animal lascivire, quod licet una omnium, qui sunt ac fuerunt sanctione ac more, Machumetanorum deterrimo, admitti-

mittitur: tamen data primum Hebræis & deteſtatur & punitur graviter ac recepta dein ab humanis lege. Idem cum vir nubit in fœmina viros paritura. Quid enim cupiatur, Ubi ſexus perdidit locum? Ubi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? Ubi Venus mutatur in alteram formam? Ubi amor quæritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, & qui futuri ſunt rei, ait Conſtantinus Imperator, & Valentinianus, Theodoſius, Arcadiusque: omnes, quibus flagitii uſu eſt virile corpus muliebriter conſtitutum, alieni ſexus damnata patientia. Nihil enim diſcretum habere videntur cum fœminis: huiuſmodi ſcelus ſpectante populo flammis vindicibus expietur. Plato quoque libro legum primo: prohibet mares maribus, vel fœminas fœminis commiſceri: id inquiens præter naturam eſſe, quiq; primum tale facinus auſi ſunt, voluptatis incontinentiâ feciſſe. Quē quidem fuiſſe omnes ferè conſentiunt Iovem Cretenſem: illum bellum Ethnicorum deunculum: quod Leonicus

nicus adnotavit. Quanquam & delectatio mulieris cum viro, quæ est ſecundum naturam, toto gradu aliam præcedit, ut Lucianus ſcripſit, Et ſanè communi utrique ſexui deſiderio indito, conjunxit mutuo illos natura, lege neceſſitatis ſancta quadam præſcripta: ut maneret propriâ uterque naturâ contentus: & neque fœmina præter naturam in marem tranſiret, neque mas indecore ac turpiter emolleſceret. Neque enim quiſquam vir ex viro natum ſe gloriatur. Intra duo autẽ nomina venerabilia omnis honor manet eorum, qui ex æquo patrem & matrem venerantur: ac ſecundum ætatis menſuram cum mulieribus conjuncti, generoſorum patres fiunt liberorum. Verum tempus ab ea magnitudine, ad voluptatis deſcendendo voragines, novas & commutatas fruendi vias aperuit: & quæ nihil non audet voluptas, naturam ipſam contempta lege violavit. Quique primus ita ſe ſuperari tam perverſæ voluptatis deſiderio paſſus eſt, eo alium aut vi tyrannica compulit, aut verbis fraudulentis induxit. Quãquam ſcilicet oportebat maxime tan-

tæ nequitiæ repugnare, ut corona dignus tanquam ſtrenuus miles & victor celeberrimus eſſet. Sicut Trebonius miles: qui cum ea de re nimium infeſtatus à magiſtratu, ipſum tandem occidiſſet, nequaquam punitus eſt à claro imperatore C. Mario, ſed honoratus, corona capiti ejus impoſita: quæ pro præclaris in re bellica geſtis dari ſolitã erat. Nec dubium eſt, multo eſſe immanius invitum hominem ſtuprum perpeti, quam eum, à quo vis infertur ejuſmodi, ab eo, cui inferri conatur, interimi. Quod dixit B. Auguſtinus. Et Paulus jureconſultus docet, ejus rei metum majorem, quam mortis eſſe, vel in ſe, vel ſuis, viris ſcilicet non improbis. Quamobrem juſtiſſima ob eam rem defenſio, & mors illata, non coargutione ſed laude digniſſima. Sed contemplemur cum Luciano hoc malum. Convenit in eundem lectum una eademq; natura: ac ſeipſos mutuo aſpicientes viri, neque eorum quæ faciunt, nec quæ patiuntur, pudore afficiuntur. per rupes, ut dici ſolet, ſteriles, projecto ſemine, pro modica voluptate magnam accipiunt infami-

In l. iſti quidẽ de eo quod m. c. ff.

famiam. Dixeris eousque tyrannicæ violentiæ audaciam progressam, ut jam & ferro naturam quodammodo ipsam deprædetur, Ita scelesta illa & omnis mali magistra mollities, voluptates impudicas aliam ex alia excogitando, in tantũ malum, quod ne dici quidem decore potest, prolapsa est: ut nullam videlicet partem petulantiæ & obscœnitatis ignoret. Quod si in his quæ Providentia sancivit, unusquisque sese firmaret, legitima fruens conjunctione, ab omni convicio & probro vita nostra pura atq; integra esset. Qualẽ esse volens Phocylides suis admonitionibus hoc quoque habet, ne quis cum brutis animalibus initorium ad cubile eat, neque transgrediatur cubilia naturæ in Venerem exlegem: quando nec ipsis feris masculus complacuit ad coitum. Et noster Iustinianus; omnes, ait, qui timori intenti sunt Dei, convenire, ut à tam impia & scelesta actione abstineant, quam ne in brutis quidem animalibus admissam reperire est. Certe, ut ait etiam Lucianus, Leones non insaniunt in leones: sed quæ tempore suo accedit Venus, in Novel. 141.

fœmineum ſexum concupiſcentiam illorum excitat. Taurus, armenti dux, cum vaccis miſcetur. Et aries totum gregem maſculo implet ſemine. Sua cubilia ſectantur apri. Lupas ineunt lupi. Et in ſumma, nec quæ aërem perſtrepunt volatu aves, nec quæ humidam ſortita ſunt manſionem, neque aliquod in terris animal congreſſum maris appetit, ipſum ſexum habens maſculum. Sed manent inter ea immota providentiæ decreta. Vos autem ô fruſtra ſapientiæ nomine jactati (animal, ut verè dicam, vile ac malum) homines, quonam novo morbo delinquentes, in mutuam contumeliam accenſi eſtis? quo animi cæco ſtupore effuſi, adeo ab utraque aberratis via, fugientes videlicet ea, quæ ſectari vos decebat, & contra, ſectantes illa, à quibus refugere oportebat? Namque diviſit natura mares: pars una puellis, una viris genita eſt. Utere parte tua, ut cecinit Martialis, inquam, ô homo: quanquam bruta quædam coire ſexu ſimili dicuntur à nonnullis. Ægyptii enim, Oro teſtificante, ſintamen hanc libidinem ſignificare volentes, gemi-

geminos mares ex perdicibus pingebant, quoniam illos amiſſis fœminis invicem coire putarent, quod & Plinius refert ipſos facere. Idemq; coturnices, & nonnunquam gallinaceos, in quibus tamen nos id nunquam vidimus. Vnde nec in aliis viſu rarioribus id verum credere par eſt, ſed à Græcis mendacibus commentum: quando etiam tale nec expertum aliquem conſtet, neque proditum ab aliquo de animalibus aliis longe ſalaciſſimis, ut de equo omnium animalium ſalaciſſimo, homine dempto, Ariſtotele teſte, vel camelo, uno qui toto die in receſſu coëat: vel hirco, qui unus ex omnib⁹ animantibus citius coit, licet invalidum & ſterile, ſemen, uti ſcripſit Apollo Niliacus, emittat: vel paſſerculo Turriano, qui & ira percitus, & abundanti ſpermate vexatus, ſepties in hora coit, abundè ſperma emittens. Concedamus ergo illud, ſi diis placet, fabulatoribus Græcis, qui & petras impudentes coire in mari Thracio tradiderunt, ſicuti habet Dion. Alex.

Κυανέας ὅθι μῦθος ἀναιδέας εἰν ἁλὶ πέτρας
Πλαζομένας καναχηδὸν ἐπ' ἀλλήλῃσι φέρεσθαι.

i. e. Cyaneas ubi fama est impudens in
mari cautes
Vagantes cū strepitu in se mutuo ferri.

Quæ etsi vera essent, non oporteret hominem non solum vita & sensu, verum etiam ratione præditum, adeo brutescere, pariter vero etiam improbandum est illud, quod exprimit Plato, probe inquiens, abstinendum & ab agro illo fœminino, ubi semen germina nolit producere. Sicque Phocylides admonet, non afficiendam injuria mulierem erubescendis cubilibus: ut neque fœminas cubile virorum imitari debere. Atque ob illud in coniugem commissum scelus separari matrimonium posse traditū est: sicut quando in alium est admissum. Centum tales non posse testari, nec testamentum eorum valere quicquam, qui vel mortui deprehenduntur fuisse huiusmodi, Anastasius Platus Mediolanensis egregie defendit lata disputatione. Quam Platinus frater collaudat, & comprobat Georgius Merula eleganti oratione. quæ habetur inter Barbatiæ responsa. Quinet evenit istis Sodomitis insignis illa & satis cognita clades divina. Cuius testis

Summa confessor. l. 4. tit. 22. gl Arch. Io an. à tur. in c. omnes 32. q. 7. Barb. consil. 64.

testis etiamnum est regio Cineris & mari tecta: cui antea foecunditas suberat, & Iordanis fluvius per opportuna loca diffusus, ut Orosius habet. Et testatur Solinus, inibi pomum gigni quod habeat speciem, licet maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem. Sicque Brachardus monachus in descriptione terræ sanctæ, perhibet in montibus Engadi versus mare, arbores esse pulcherrimos fructus ferentes, sed qui si manibus premantur, statim in favillam & cineres rediguntur, horrendum Dei iudicium contra Sodomitas præ se ferentes. Et ab his dicti sunt eo nomine id scelus sectantes, atque omnes, qui tales erant, nocte nativitatis Domini tum subito periisse narrat B. Hieronymus & inde alii multi: ne tantum scelus in humana natura quam susceperat illucens nobis inveniret Christus. Propter quod primum id videns Deus, ferè desiit incarnari, ut B. Augustinus scripsit. Porro de his censens

Plato libro legum octavo, sentit, exquisiti pessimiq; homicidii reos esse, inquiens, istos dedita opera genus hominum interficere, in lapidem seminantes, ubi radices agere quod seritur, nunquam poterit. Quod & Ficinus amplectens, commentarii in convivium oratione sexta, capite decimoquarto scribit, merito homicidam censendum esse, qui hominem præripit nasciturum, quam qui natū tollit è medio: audaciorem esse quidem, qui presentem abrumpit vitam, crudeliorem autem, qui lucem invidet nascituro. Et nondum natos suos filios enecat, & Q. Septimius convenit in Apologetico, capite nono, inquiens. Homicidii festinatio, est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentium disturbet. Homo est, & qui est futurus, etiam fructus omnis iam in semine est, & idem libro adversus Marcionem quarto, qui, inquit, semen odit, fructum quoque execretur, necesse est. Nec ille non sævior habendus Ægyptio rege. Nam Pharao educari non sinebat infantes: iste nec nasci, auferens vitam illis etiam decē mensium

sium in utero. Cuiusmodi sunt etiam, qui per voluptatẽ & molliciem sperma eiiciunt & perdunt prorsus. Sicuti egisse narrat Moises Heronam filium Iudæ: qui cum iuberetur à patre ad uxorem fratris ingredi, quo ex ea filios, illius nomine, secundum legem suscitaret, ingressus, semen fudit in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Quare percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Inquit scriptura, וירע בעיני יהוה אשר עשה וימת גם אתו׃ quod frustra funderetur tantum semẽ. Huiusmodi peccati genus designat quoque Apostolus, ubi ait: Cum fornicatoribus & adulteris neque molles introituros in regnum cælorum. Et crediderim ego, gravis esse supplicii eiusmodi reos, sicuti quidpiam subdole miscentes cibo, vel potui hominum, ne generare possint & partus producere. Equidem memoro, ius vulgo notum esse, quod doceat, interesse Reipub. homines generari, nasci, educari, & quæ ad ea attinent, non deesse: quibus & ipsa Respub: & ipsum ius continetur, & in melius producitur, sicut Deo placet, ex quo-

Bonifa. vitali. In ope. malefic. titul. quibus de causis ad mort.

libet etiam vilissimo sæpe coniugio venientibus. Cæterum, nequaquam mali sperandum, sed bonum, & ex duobus bonis melius, & præsumendum adversum malitiam.

CAP. II.

De incestu.

EST præterea incestus, adulterium, stuprum, & mera fornicatio. De quibus multa utroq; iure tradita. Incestus in Deo dicatas sacerrimas mulieres, & adulterium, & stuprum, & raptus. à quo & ferus miles sæpe abstinuit cum non abstinere liceret. Autor est Ammianus Romanis captis castellis quibusdam, à gente barbara, inventas virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas, & religioni servire, solito more, nullo vetante, præceptum & pariter Roma capta, ab Alarico factum, prolixè Orosius refert. Nimirum permovet omnem gentem religio & insitus est amor, pudor, ac timor divinus mentibus hominum, ut etiam quæ Deo dicata sunt, infima, & insensibilia, non honorare verçantur, & multo

magis

magis timeant violare, maxime vero talia animata, & rationabili mente Deo similia sacraque corpora. Proinde Rex Agesilaus templa etiam, quæ inter hostes erant, venerabatur, existimans oportere deum immortalem non inter hostes minus, quam inter amicos propitium facere. Deo autem supplices neq; inimicos quidem violabat, absurdum esse dicens, eos qui ex templis quicquam furarentur, sacrilegos appellare: qui vero ab aris supplices evellerent, pios arbitrari, ut retulit Xenophon. Id quod & facto implevit Alaricus, tum cum servatæ sunt intactæ Deo sacræ virgines, Roma capta, præcipiens ante omnia, ut si quis in sancta loca præcipue sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, ii imprimis inviolati securique sinerentur, ut scripsit Paulus Diaconus Orosiusq;, quo sunt sceleratiores pleriq; Christiani milites, qui cum ipsis Christianis belligerantes, capto quocunq; oppido, fana & res omnes sacras, ipsasq; dignissimas Christi sponsas diripiunt & constuprant nequissimè, quibus semper crediderim terribiles nimis quas-

dàm quaſi furias ob oculos verſari, nunquam animo quieſcere permittentes, ſi non ſummis ſtatim ſuppliciis afficiuntur, ſicuti eveniſſe autor eſt Aimoinus, militibus Guntrani Regis, Baſilicam ſancti Vincentii Aennenſis territorii ſpoliantibus. Eveſtigio enim furentes alii ſe interemetunt, alii dæmonibus repleti ſunt, aliorum manus ſacro igne arſetunt, & corrumpentem quidem Deo dicatam, inferre graviſſimum opprobriũ religioni, ipſique Deo graviſſimam offenſam, traditum à noſtris. Cæterum, olim quoque non parum vindicata eſt libido eiuſmodi inceſta, in viris quidem, ac mulieribus non oppreſſis. L. Veturius, eques Romanus, hac de cauſa correptus eſt, gratia tamen evaſit. Minutia Veſtalis viva defoſſa eſt in campo, qui inde dicitur ſceleratus, ſicut & Popilia ob ſtuprũ: præveniensq; Capparonia, ſuſpendio periit ſibi illato. Et eius corruptor, conſciiq; ſervi, ſupplicio ſunt affecti. Itemque Domitiano imperante aliæ tres innominatæ Veſtales interfectæ ſunt, ea de cauſa: ut eſt relatum à Livio, Oroſio, ac Philoſtrato. Eſt verò

c. 1. & ibi Franc. no 2 de regul.

etiam

etiam inceſtus peculiariter dictus, qui cum cōjunctis neceſſitudine ſanguinis committitur, ab illo etiam proveniens amore, qui Deus dicitur, at vero amaror eſt & error flagitioſiſſimus, ſicuti Aurelius cecinit:

Polluit ille Deus cognatos, ſolvit amicos.

Res per ſe ſatis naturâ inviſa, odioſior item redditur, quod ipſa etiam animantia quibus intellectus non eſt, juxta ſententiam Iob, nos docent, magno ſuo exemplo & miraculo, indignum facinus eſſe. Teſtis eſt Polydorus, innatā nobis verecundiam, quo facile abhorreamus à propinquorum commiſtione. Prodidit Ariſtoteles, cum aliquando camelus admiſſarius non haberetur, curatorem pullum matri opertæ admiſiſſe. Qui dum coiret, delapſo operimento, agnovit matrem; & quamvis coitum abſolverit, memor tamen commiſſi ſceleris paulo poſt camelarium illum curatorem morſu defixo interemit. Quanquam & ex furore venerio id factum fuiſſe non ſit abſonum. Ferunt regi Scytharum, equam egregiam fuiſſe, ex qua mares generoſi omnes gignerentur. Quorum unus,

qui

qui præstantior erat admissus matrē inire recusavit, donec operta latuit eum, & ubi à concubitu faciem matris detectam agnovit, fugam properavit, ac seipsum agens præcipitem interemit. Et similia pleraque referuntur.

CAP. III.

De adulterio.

ADulterium divinis multarumq; omnino gentium institutis, necnon multorum gravissimorum autorum persecutum scriptis, vel eo cavendum ducere debent vel maximè uxorati, quod suas similiter uxores pollui mereantur, nec possint ab iis exigere debitum conjugale, neq; eas adulterii ipsius reas facere, quo ipsi delinquunt, ut illis liceat abstinere, ac quod mortem ipsum adulterium corporalem quoque inferat divinitus, dum spiritualis, & æterna spectatur. Nemo ignorat id peccatum esse, quod à morte æterna illi debita vulgo vocatur mortale, & à B. Cypriano, capitale etiam ab aliis, quod vitam animæ

animæ propriam ceu corpori per capitis abſciſſionem auferat. Nota lapidatio Hebræis uſitata, ac dictum in Deuteronom. & Levitico primum, ut morte moriatur adulter, mœchaq; : non incognitum ſupplicium ejus criminis à Cæſare Imperatore ſancitum, quod ultimum fuiſſe adnotat Omphalius. De quo Q. Horatius ita luſit:
Mox & lex maculoſum edomuit nefas.
Culpam pœna premit comes.
Et ſane Opilius Macrinus juriſperitus Imperator factus, adulterii reos ſemper vivos ſimul incendit, junctis corporibus, teſte Capitolino. Plane vero tandem Conſtantinus lege ſummum ſupplicium irrogaſſe videtur. Cæterum quoque adulter apud Arabes capite plectitur, apud Ægyptios naſo, apud Piſidas inſidens aſino circumducitur, adulteram apud Germanos, exciſis crinibus, maritus expellit domo, & per omnem pagum nudam verbere adficit, at nefarie Cumæi peccatum peccato accumulantes, cum tolerabilius ſit uni proſtitutam eſſe, quam multis, ut B. Hieronymus ait, in adulterio deprehenſam omnibus exhibent ſubigendam, ſicut
&c.

& quondam Romæ, ſi qua mulier in adulterio capta fuiſſet, hoc non emendabatur, ſed potius ad augmentum peccandi tradebatur. Includentes enim eam in anguſto proſtibulo, & admittentes, qui cum ea fornicarentur, hora, qua turpitudine miſcebantur, tintinnabula percutiebant, ut eorum ſono illius injuria fieret manifeſta. quod Theodoſius Magnus non paſſus eſt permanere: ſed eã proſtibula deſtrui iubens, aliis pœnis adulteram ſancivit adfligi. Cumani etiam in adulterio deprehenſam ſoliti ſunt ducere in forum, & inibi ſaxo imponere, ab omnibus ſpectandam, dein aſino inſidentem per urbem pervectam, in eundem locum reſtituere, ex quo deducta erat, indeque infamia notatam ὀνοβάτιν ſeu ὀνοβόστιν appellare. Mos quoque fuit, ut mulieres convictæ adulterii, virili toga inductæ, in publicum procedere cogerentur: ac præcipue notarentur; quæ novæ nuptæ id admiſerant, quippe cum, ut ſemper malum adulterium, & peius periurio Philoſophorũ multorum ſententia, ita peſſimum in novis nuptis iudicetur. Porro iure Ro-

mano licet plerunq; patri ac marito ejus, cum qua commissum est adulterium, ipsum adulterum deprehensum in re venerea occidere. Vnde etiam loris cædere licere jure argumentatur Albinus. Et alii, licere occidere quoque ipsum qui deprehenditur oscula libare gnatæ, vel uxori, & pudenda ejus, ac vel mamillas attrectare, quod Græci uno verbo dicunt ϛλιμάζειν, remotis arbitris, docuerunt. quoniam res ejusmodi venereæ sunt, ut est notatum. Quod non satis constat capite illo, quo dicitur Pomponius scripsisse, in ipsis rebus Venereis deprehensum occidi, quando ita subjungit Vlpianus, & hoc est, quod Solon & Dracon dicunt, ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα. Sic enim Græcum illorum restituit Budæus: quod in ipsa legum tabula erat, planissimo testimonio Luciani. Quod frustra rejicit Alciatus ipse legens ἐν ἔργῳ. quo idem significatur, vel teste Luciano eodem. Apud quem Mercurius, narrans Apollini adulterium Martis cum Venere, & quomodo in ipso deprehensi essent, ac ligati vinculis illis, quæ ad id tetenderat Vulcanus Veneris maritus, ait:

L. quod ait. & seq ad le. Iul de adult. ff. l. Gracchus. eo. titu. C. L. nec in ea. t. ti. ff. Angel. areti. tractā. de testamē. ad illud: Donec castè & honestè vixe. In d. l. quod ait.

i. e. membrum in membro habente.

ait: καὶ ἐπεὶ δὲ ἐπέβησαν τοῦ λέχους, καὶ ἐν ἔργῳ ἦσαν, καὶ ἐν τοῖς ἐγίνοντο τῶν ἀρκύων, περιπλέκεται μὲν αὐτοῖς τὰ δεσμά. Idemque reor significare quod apud Lysiam oratorem excusans necem Heratosthenis adulteri, inquit, ipsum visum καταχείμενον παρὰ τῇ γυναικί. Quanquam hoc proprie intelligi potest dictum, quod ille simpliciter visus sit jacere cum muliere, quadam sermonis modestia, quæ præcipue decora videtur marito propriæ uxoris turpitudinem maximam explicanti. Qui quidem loquendi pudor communis est cum cæteris eruditioribus linguis. Latini enim, ut autor est Varro: quadam modestia potius cũ muliere fuisse, quàm concubuisse dicebant: Sicut Hebræi dormiisse, ut habetur in Deuteronomio. Id quod unum & alterum jus nostrum est imitatum. Aut etiam sanè dictus videri potest Heratosthenes adulter visus jacere cum muliere, quia id tantum revera perspectum esset, ac omnino inde intelligeretur concubuisse cum ipsa. Quod non perinde existimatum esset, neque existimandum, jure adparet ex antecedentibus illis Veneris, quoniam, ut vetus habet.

i.e. ubi autem ascenderant lectũ atq; in opere erát, atq; reti superjacerent, iis innexa fuere vincula.

i.e cubãtem apud uxorem.

L. 1. de mulier. quæ prop. ser. se junx. C. c 5. de adulte. c. literis de præsũp.

bet proverbium, multa interveniunt inter os & offam. Et ita demum permissa est potestas vindicandi sese patri, vel marito, si adulterum deprehenderit: ita ut talis omnino videatur, ne forte talis præcipue iratus, & sibi ipsi jus non solum dicens, verum etiam exequens, se quidem iniuria adficientem, at non illa, quam ut Lysias scripsit: ἅπαντες ἄνθρωποι δεινοτάτην ἡγοῦνται, tanquam adulterum perimat. Quod nec magistratibus ullo iure licet: qui iubentur variis peccatis varias & pro modo culpæ pœnas inferre, illudque verbum deprehendo, quo lex utitur, denotat: quod est omnino & aperte prehendo, in flagitio scilicet, ut vix etiam, qui deprehenditur, ea quæ commisit, negare sufficiat, ut ipsa etiam Constantini lege declaratur. Cui verbo respondet Græcum, καταλαμβάνω, ac λαμβάνω, verbum anomalum, ἀπὸ τοῦ λήβω, ἀχρήστου. quibus hac ipsa in re usi sunt B. Ioannes, Lucianus, Lysias, & cæteri. Et referuntur leges ipsæ Græcè habere:

i. e. omnes homines gravissimã esse existimant.

L. qui sen. de pœ.

ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ, ὅτι ἂν βούληται χρῆσθαι. μήτε καταγινώσκειν φόνου, ὃς ἂν ἐπὶ δάμαρτι τῇ ἑαυτοῦ μοιχὸν λαβὼν, ταύτην τὴν τιμωρίαν ποιήσηται.

Auten. si quis. C. de adult.

Cæte-

i.e. Si quis adulterum ceperit, quod voluerit faciat. neque illum damnare homicidii oportet, qui adulterum super uxorem suam capiens, illam vindictam, nimirum mortis infliget.

Cæterum, olim apud Romanos, de iure occidendi, ut retulit ex M. Catonis oratione Gellius, ita scriptum erat. In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est. Et Iulius Paulus inter receptas sententias inquit, inventam in adulterio uxorem, à marito ita demum occidi posse, si maritus adulterum domi suæ deprehendat. Quod quidem non est receptum à Triboniano iuris, quo nunc utimur, concinnatore. Eo enim constat omnino occidi non posse à marito uxorem adulteram. At etiamnum eodem iure obtinet, ne accusari quidem posse ab uxore maritum adulterum. quod & iure canonico obtinere tradunt, quantum publicè interest, legitimam pœnam irrogari: propterea quod caput mulieris sit. At eadem ratione, vel alio, ut apud nos procuratore regio ad publicam vindictam persequendam in omnibus criminibus constituto, accusante, tanto

L. nec in cad l. si adul. §. Imperatores. ad leg. Iuliā de adul. ff. l. 1. eo. tit. C. Pan, in c. tuæ. de procur. &c.

tanto magis puniri debet, quanto ad eum pertinet magis, & virtute vincere & exemplo regere mulierem, ut censuit B. Augustinus: nec sicut publici juris se habere visa est ratio, sola mulier adultera est, quę habet alium, servanda fides ab altero utrique, imo exemplo continentiæ docenda uxor, ut se castè gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare non possis, ut ait Lactantius. Unde & beatus Ambrosius, Nemo, inquit, sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est. Nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quicquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. Et certè, ut ait etiam B. Antoninus, cùm viri communiter excellant in vigore rationis, non minus peccant, sed gravius, quam adulteræ. Sicque monet Aristoteles: Viri ad uxorem iniuria cesset: ita enim nec ipse iniuriam patietur. Est autem iniuria illa, externarum coitus. At non decet etiam hominem sanæ mentis, ubicunque contigerit, semen exponere, ne de vilibus

&

& iniquis similes liberis legitimis procreentur: ex quo & uxor honore suo privatur, & filiis iniuria fit, ac sibi pro his omnibus dedecus incumbit.
L. quod ait. in fi. de divor. ff.
Neque sane uxorem suam vir habere videtur pro uxore, qui se alienis commaculat desideriis, & vel concubinam tenet, ut denotatum est ab Vlpiano. Videat igitur, ne & ipse, ut par esset, ni Deus refragaretur, pro marito non habeatur, iuxta Crassi dictum ad Philippum eiusmodi: Quomodo ego te habeam in Consulem, qui non habes me in Senatorem? Sanè qui non vult alteri viro postponi, ne præferat amoribus ullam coniugis, ut Ovidius habet. Sicut & qui nondum duxit uxorem, dicturus est tamen, si intactam invenire velit, talem se servet, oportet. Veluti docet B. Augustinus. alioquin non indignetur quisquam si non purus, etiamsi maxime puram velit, imprudens in non puram incidat, & tori proprii violator, etiamsi maxime zelet uxorem (ut est mos hominum) quemadmodum, inquit Homerus:

Δύσζηλοι γάρ τ' εἰσιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων.
i.e. Ad zelum proclives sunt gentes hominum;

adul-

adulteram habeat, Deo permittente. Qui contra velut præſul cuſtosq; eſt fidelis coniugii, non patiens ipſum pollui. In quo quidē quis facit quod poteſt, quod non poteſt, ipſi Deo committit, in quem ſperat: ut ſanctorum ſcriptis inter canones relatis aperte docemur. Deinceps Ariſtoteles, Maximus ait honor eſt ſobriæ mulieri, ſi cernat virum ſuum obſervantem ſibi caſtitatem, nec de ulla muliere magis cogitantem, ſed præ cæteris omnibus hanc & ſuam & fidam ſibi exiſtimantem. Tanto enim magis ſtudebit mulier ſe talem præſtare, quanto ſe fideliter ac iuſte cognoverit diligi à viro. Itaque laudabile eſt, & utile, inquam, & iucundum ab aliena muliere abſtinere, viro ipſi, uti uxori. Quod ſi quid eo vir peccet, longe ægre fert, quemadmodum dixit Seneca:

c. nemo. 32.q.4 c. quæritur 32.q.2.

Vltimum eſt nuptæ malum,
Palam mariti poſſidens pellex domum.
Leve eſſe credis pellicis nuptæ malum?
Quicquid dolorem paſcit, id nimiũ puta,
Magnus dolor iratus amor eſt.
Nec regna ſocium ferre nec tedæ ſciunt.

Id & Iuſtinianus noſter teſtatur, matrimo-

L.consen su.de re-pud. C. auten.de nupt.§. initio. Baptista Severi. in rep. leg. si qua. ad Orsi. C.

trimonii violationem, quæ fit à maritis, uxores circa cubile stimulatas exasperare, & præcipue castas. Et quidam legum interpres scripsit, uxorem bene meritam consuevisse turbari; quando violatur à viro communis torus, commiscente se alteri maximæ ancillæ emptitiæ, propriæ, domesticæ. Neque enim bene convenire, nec in uno lecto morari uxorem & concubinam. Quod vetus dictum nimium verum adparet ex prædictis. Præter enim, quod ipsum per se adulterium dedecus adfert omnibus, Deo permittente, id sæpe evenit, ut vel irata conjunx quoque fiat adultera, & viri vitæ insidietur, ne quid amplius dicam. Præterea, advertimus, ait B. Ambrosius, adulterium divino iudicio puniri morte, cum ait Deus Abimelech, qui Sarram uxorem Abrahæ in uxorem sibi sumpserat: Ecce tu morieris propter mulierem. Hoc est, si eam tetigeris, & adulteraris. Et ideo videtur quod iudex, etiam hodie posset adulteros punire ad mortem, ut Faber noster, in hoc dissimulatus ab omnibus, scripsit, equidem rectissime, & tradidit, ne quicquam

In §. item lex Iul.de publ.iud inst. In l.1.ad si.quę sit lōga con suet. C. 1.relegā-tes.23 q. 5.cū ibi no.l.quā vis.de a-dult.C.l. 1.eod.tit 1.in Lon gob.

iuri

iuri in adulteros constituto derogari hujus regni consuetudine; quæ certè est contra jus divinum, notatum expresse à B. Ambrosio, præter illud, quod dicitur præceptum legale, & contra jus pontificũ, (quod Canonicum dicitur) & contra Romanum, seu civile, ac Longobardicum: quibus omnibus pœna in adulteros mors est: nisi quidem in muliere, posteriori jure civili expressim, ob sexum imbecilliorem, post verbera, pœnitentiæ destinatæ. Et cùm ita res se habeat, male excusatur reprobatissima consuetudo à quibusdam, pudendo favore causantibus tolerantiam Principis, conservationem multitudinis hominum adulterantium, propter fragilitatem humanam. Cum & leve admodum sit argumentum tolerantiæ Principis, non facile cogitantis quotidie, ac minime intendentis renovare omnia, quæ haud dubie putat non ignorari à suis magistratibus, quibus ea rejicit intentus aliis. Nec multitudo delinquentium graviter, continue, & successive, excusat, vel minuit pœnam, sed aggravat. Nimirum cum multis grassantibus exem-

Autent. sed hodie. eod. tit. C.

Craveta cõs. 137.

plo opus sit, præcipue in re, quæ deest nemini, nisi forte potiora petens se ipse cohibuerit. Nisi inquam voto se adstrinxerit quisquam, licet ei parem conjugio adsciscere: quo nedum paret posteritatem, verum etiam infirmitati consulat & satisfaciat: ut jam nulla excusatione dignus adpareat, qui adulterat: nullam mereat indulgentiam, qui sacrum violat, adductus tantum sua vanissima, & perversissima, & pessima voluntate. Deinde considerandа est criminis hujus gravitas & excellens nequitia, comparatione, quod fit sæpius, bestiarum. Inquit B. Chrysostomus: Cum naturale sit animalium ut non unius masculi sive fœminæ lege contenta sint, & naturale Angelorum, separatos esse omnino ab usu libidinis: jam fit, ut unius contentus conjugio, non animal quodammodo sit, neque Angelus, sed homo. Et qui nec unius se passus est haberi usu libidinis, naturam humanam supergreditur, fitque Angelus. Similiter vero consequens est, ut qui non unius conjunctione est contentus, sed plurium appetit concubitum, neque Angelus, neque homo sit,
sed

ſed belluinus. Quales Turci: quibus levis matrimonii neceſſitudo: apud quos ſinguli pro opibus plures uxores habent. Regibus eo amplius nubere licet. Ita animus multitudine diſtractus, nullam pro ſocia, pariter omnes viliter habet, ut Æneas Sylvius ait. Quin elephantos Plinius ſcribit, nulla noſcere adulteria, nulláve, propter fœminas, inter ſe prælia, cæteris animalibus pernicioſa. Nō quia deſit illis amoris vis. Traditur enim unus amaſſe quandam in Ægypto corollas vendentem: ac ne quis vulgariter electam putet, miretur gratam Ariſtophani celeberrimo in arte Grammatica. Illudque proditur de columbis. Atq; equus comparem ſuum diligit, & ſi mutetur, alius trahere jugum neſcit compar alterius: eo deſtitutus, ſe totum non putat. & homo conjugalem ſuum repudiat, & ſæpe putat mutandum. Rex inquam animalium homo, & dominus, & divina præſtans ratione, in hominem, in fratrem, in ſeipſum hoc aget? tantam perpetrabit injuriam? adeo inimicus homini eſſe poterit, & junctiſſimo conſorti, ut quæ maxime nolit,

ingerat? quod infamissimũ sit, quod injuriosissimum, inferat? adeo malus & vilis, ut tanta cum injuria proximi non erubescat explere pessimam voluptatẽ? Equidem non potest nõ esse in facinore isto vel admodum inimica mẽs, vel maxima animi vilitas; (adeo tamen viluerunt hominum ingenia, ut nihil contemnant fortius) quinimo vilis habeatur, qui in his non viluit. &, ut Augustinus ait, pudet non esse impudentem. præcipue vero de hoc male audiunt, qui inclytiores habentur, & quibus sunt amabiliores fœminæ. Testis est noster Faber, Cancellarius ille quõdam clarissimus hujus regni, adulteria reputari pro industria. Et alius scribit, litigantem in foro contra eum, qui ejus uxorem dehonestavit, magnum pudorem pati solere, & risum magis, quam justitiam reportare. Et notat Erasmus, nunc magnatum lusum esse adulterium; nõ sine stomacho vere ingenuo quidem subiungens, sæviri autem in miseros fures atrocius, cum nec Draconis, vel Romanæ, ullæve Ethnicorum, seu ipsæ Mosaicæ leges simplex furtum supplicio capitis vindicaverint; sed avari-

avaritiam nostram facere, ut usqueadeo simus infensi furibus. Et ideo magnum malum existimamus furtum, quia pecuniam summi boni loco ducimus. in quo latior est Vtopiæ Mori campus, & commentariorum Bolenci Aurelianensis legum interpretis. quanquam hoc quidem magis constat vel testimonio Gellii, Draconis legibus cautum, furem cuiuscunquemodi furti supplicio capitis puniendum. Sed ad rem. Ælium Verum Imperatorem maximum prodidit Spartianus uxori conquerenti de extraneis voluptatibus dixisse: Patere me per alias exercere cupiditates meas: uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis. Cæsar Octavius multis fœdatus adulteriis quoque fuit: tametsi eius vitii severissimus ultor extitit. Nam & Poëtam Ovidium pro eo, quod tres libros amatoriæ artis nequissime scripsisse videbatur, exilio damnavit, ut Sext. Aurelius refert. ita convenit. quod ipse Ovidius de ipso Cæsare cecinit altero libro Fastorum:

Hic castas duce se jubet esse maritas.

Vt prope verum videatur, quod Plau-

tus habet: qui nisi adulterio studiosus, rei nulli aliæ est improbus. Id quod tamen solum, ut adparet multis, improbissimum est. Sane ut apud lascivas mulierculas magni fiunt adulatores, sicuti scribit Plutarchus: ita & apud lascivos homines atque intemperantes: dum bonos viros una contentos muliere, uxore scilicet, rusticos & alienos à Venere vocant. itaque fit, ut nobilium istorum complures cum propriis dormientes mulieribus, cum formosis, tum etiam amantibus, idque secure, nihil tamen commoveantur. Cæterum Phrynæ Laidive persoluto argento, cum corpore sint ægro, & ad coitum ignavo, excitantur tamen & irritantur ad voluptatem per lasciviam, & inanis, imo perversissimæ gloriæ causâ: sicut & quando alienum torum occupant, nullo præpediente timore: quanquam in maximo versantur periculo. Aegre enim fert quisque super omnia fere, id toro suo inferri dedecoris, ac magis, quàm sibi pollui sororem, sive matrem, atque eam ipsam uxorem occidi; ut B. Hieronymus attestatur. Et quamvis uxoris impudici-

dicitiam plane ultimus nesciat maritus, vix aliqua uxor impudica est, quam non suspectam vir habeat, & proinde observet; maxime vero senex, teste Xenophonte: præterea inventam male mulctet cum adultero, magnopere iratus zelo quodam naturali, quo tanguntur & bestiæ. De quibus Seneca inquit:

Venere instructi quam magna gerunt,
Grege pro toto, bellica juvenci,
Si conjugio timuere suo:
Poscunt timidi prælia cervi,
Et mugitus dant concepti signa furoris.

Vnde adversus illos ita lusit Martialis:

Cur aliena placet tibi, quæ tua non placet uxor?
Nunquid securus non potes arrigere?

Certè viro coniugis concubitum expetenti quovis tempore tuta via est, periculosa vera alieno toro inhiantibus: quanquam hoc ipsum impudicos delectat. Quamobrem meretricibus etiam subditus, nuptis insidians Vitellius Imperator, iucundiores inquiebat esse amores, qui cum periculo habentur, ut retulit Philostratus. Item illos Gulielmus quoq;

Maranus perstringit versibus hisce:

Dicam de genere hoc plerosque minusq; pudicos,
Qui cum legitimi jungantur foedere lecti,
Virtute egregiis, facieq;, domoq;, puelli,
Scorta tamen foedasque lupas in fornice quaerunt,
Ac per adulterium nova carpere gaudia certant,
Despectasque probro linquunt, quas durus amaret
Hippolytus. tanta est aliena in messe voluptas,
Seq; volutabris, contempto gurgite puro,
Turpiter immergunt per multa incommoda vitae.

Lib. 2. in chimaeram spiritualem. Ea autem incommoda idem multis enarrat magna ex parte, & in universum ostendit hominum foedam turpissimi huius amoris luxuriem, & praecipue sacerdotum, in quibus cum incestu quodammodo est etiam adulterium sacrilegum. Eorum tamen adeo nullis vinculis constricta bacchatur lascivies, ut seculares uxorati plerisque locis non multo plures habeant liberos, ut Alvarus Pelagius ait. Itaque melius, secundum religionis

suæ morem, Orientales presbyteri utuntur matrimonio iam vel in sacris ordinibus contracto, cum legitimo ita uti possint concubitu. Quanquam id minimum iuvat eos, qui incautius animalem observant cupiditatem. Qua fit, ut maior videatur & melior vicina seges. quemadmodum ait Iuvenalis, ceciniτque Ovidius:

Nam capiunt animos plus aliena suis.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq́ pecus grādius uber habet.

Et Plinius, Magna, inquit, mortalibus suarum rerum satietas, alienarumque aviditas est. atque, ut dixit μεταφορικῶς hoc ipsum notans Hebræus Sapiens, מים גנובים ימתקו ולחם סתרים ינעם: ubi panem absconditū & aquas furtivas appellat commode Venerē exteram; cuiusmodi est maxime, quod & notatur, furtim committi adulterium. unde raro possibilis est eius directa probatio. quamobrē per præsumptiones, & famam satis probatum censetur: & per testes singulares: vel scilicet ad pœnam mitiorem, & separationem tori. Nec ab re etiam traditur, cum quis habet

L. quæ uxor. & ibi Bald. de repud. ff. Innocē. in c. prę-terec. de testibus. Deci. ca-tho. 310. S. præco-nizamus

& ibi Barbaten. de lenon.

poteſtatem inquirendi contra fures & latrones, eo intelligi illi competere quoq; facultatem inquirendi contra caſtitatis violatores. Cujus etiam dicitur latrocinium, κλοπή τε καὶ λῃστεία, tenebras ſcilicet amans, fugiens lucem. Quemadmodum ſcripſit illuſtris ille & ſacer heros Iob; Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens, nonne videbit oculus? & operiet vultum ſuum. Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignoraverunt lucem. Si ſubito adparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant. Quaſi Deus non videat. Cujus oculi multo plus lucidiores ſunt ſole. Cui ante, quam crearentur, omnia ſunt agnita: & qui poſt perfectum reſpicit omnia. Homo autem fornicarius dicit: Quis videt me? tenebræ circundant me. Ei omnis panis dulcis. Non fatigabitur tranſgrediens uſque in finem, ut ait Eccleſiaſticus.

CAPUT IV.

De raptu.

RAptus haud dubie atrox crimen admodum: quippe quod peſſimum

mum criminum dictum est à lege, tum minime jucundum iis etiam ipsis patratoribus est. Nam quidem ab invitis hostibus aliquid sumere, res omnium jucundissima est, sed à puellis volentibus gratia jucundissima venit. Protinus ipse mutuus redamantis aspectus jucundus est: jucundæ percontationes, jucundæ responsiones. Jucundissimæ vero & inprimis Venereæ lites, tum contentiones: at invitis puellis frui, latrocinio similius videtur, quam voluptati venereæ. Quanquam prædoni aliquid adfert voluptatis partim lucrum, partim quod urit inimicum. At quis ejus cruciatu gaudet, quam amat? amantem odisse, & attingere moleste ferentem, grave illi etiam & miserandum est malũ, uti habet Xenophonticus Hiero. Adhæc vero illarum minus læditur pudicitia, quæ hoc modo violantur invite, corpore quidem alienam libidinem vi patiente, at minime admittente animo. Qui quidem ipse est, qui peccat, non corpus, ut Livius scripsit in Lucretia, utque Annæus inquit, mens impudicã facere, non casus solet. Id quod tra-

L. raptores, de ep. & cler. C.

dit etiam Gratianus quæstione posita speciali: ac potius augeri pudicitiā ista re & passione invisissima. Quocirca minime est mirandum, quod Deus id pati permittat, etiam mulieres integritate sanctissimas, ac moribus honestissimas, violari. Etenim sicut morte rapti dicuntur quidam in sacra Sophia, ne malitia mutaret intellectum eorum: ita quiddam ab illis vi rapitur, ne prosperitas mutet modestiam earum: iis enim id demitur quidem, unde hominibus placere gestierunt, remanet autem quod ostendi hominibus non potest, ut ait B. Augustinus. Insuper scripsit Leo Papa episcopis per Aphricam constitutis, famulas Dei, quæ integritatem pudoris oppressione Barbarica perdiderant, laudabiliores futuras in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non auderent comparare virginibus. Itaque non oportet aliquam ob id impatientius dejici, nec, ut tale quid vitet, sese in certum vitæ dispendium excitare, & facinus edere; quale, cum multarum, tū Cymbriacarum longe impium; sed potius, vel primis scilicet motibus excitam

ad

ad talia, seipsam cohibere debet in circulo rationis, orare, & astutum quidem, si potest, commodum invenire. Quale ab Annonio memoratur duarum filiarum Gisulphi Longobardorum ducis: quæ ne ab hostibus captæ contaminarentur, crudas pullorum carnes sibi inter mammas sub fascia posuerunt. Præ quarum ex calore corporis, putrefactarum fœtore, qui eas adibant impudici, sunt repulsi. Nec dubium est, jure etiam talem vim inferentes occidere posse. de quo lex Platonis ita concepta est: Qui mulierem liberam, aut puerum, ad rem Veneream vi subegit, impune non ab eo solum, cui vis est illata, verumetiam à patre, fratribus filiisque, vita privetur: maritusque si vim uxori inferentem perimat, lege mundus sit.

CAP. V.

De stupro.

STuprum, impudentissimam virginalis, sive vidualis honestatis deflorationem, & contaminationem nequissimam, quis hominum tam huma-

humanitatis nescius, & officii oblitus sui, patrare possit? siquidem vir à virtute dicitur, mulier à mollitie: quippe quod viro ex officio humanitatis &virilitatis incumbit, consortem eadem naturâ imbecilliorem, mulierem tueri & servare intactam. Virilitatis enim est & roboris, mollitiem & imbecillitatem custodire & defendere integram, non oppugnare & corrumpere. Ideo canis & molossus valens, pastorque robustus, ovibus custodia sunt, animali simplicissimo, imbecillimoq;. Quos si quis, viderit non custodire illas, sed disperdere, & tractare perperam, quis, inquam, non infamet, & quantum in se est, non corripiat, & castiget? à quo domino non male audient, & vapulabunt? Sic profecto hominem quemcunq;, muliebris honestatis corruptorem, nemo bene sanus non infamem duxerit, tanquam etiam seipsum inhonorantem, & dedecore adficientem, magis, quam mulierem: nec quisquam non dicet lupum potius, quam hominem, vel etiam canem, comedentem quæ servare debeat. Itaque perstringit Claudianus eunuchum Eutropium, quod

quod cum omnibus unica esset virtus in eunuchis, thalamos servare pudicos, ipse adulteriis crevisset. Similiterque Terentii Thais, Pythiam alloquens ancillam, quæ Chæream adolescentem constupratorem virginis ad custodiam & famulitium admiserat, eunuchum putans ut talem ornatum, Scelesta, inquit, ovem lupo commisisti. tum illi adornato adhuc deprehenso: Os impudens, credin' te impune abiturum? Et convenit illud Iob dicentis: Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Ac nemo, inquam, non credit, si modo non insanus, talem subiturum gravissimam Dei indignationem, & supplicia maxima, qui illi mulierẽ tanquam ovem commisit, tanquam pastori; cui, male exequenti demandatam sibi à Deo custodiam, væ illud manet, quod per Ezechielem pronuntiat ipse Deus pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, gregem autem non pascebant: quod infirmum fuit, non consolidabant: & quod ægrotum, non sanabant, sed occidebant, comedebant, dispergebant in devorationem. Pariter,

ter, cum viro, veluti vinea agricolæ, mulier sit commissa, qui illius curam perperam egit, utique videbitur futurum, ut juxta euangelium cum malis male perdatur agricolis. Potissimum vero, qui specialiter ad tuendos homines sunt constituti in dignitate, hujusmodi habebuntur male. Principesque maximi proinde pessime. qualis fuit Augustus: qui à Tranquillo scribitur, postquam ab adulteriis destitit, ad vitiandas virgines promptior fuisse; quas etiam particeps sceleris uxor sua conquirebat undique sibi. Heliogabalus quoque, qui & nupsit & coiit, ut Lampridius refert, mulieres nunquam iteravit, præter uxorem: sicut nec annulos nec calciamenta, nec linteamen: id quod lotum nunquam attigit; mendicos ducens, qui iis uterentur. Quot est credibile hoc pecus nefarium vitiasse? cum esset libidinosissimus, immensæq; luxuriei, & potestatis maximæ. quem dignum erat primum vel toto cum testibus cole privari! quemadmodum à pluribus factitatũ est gentibus, ut scilicet ei, qui liberam vitiasset, virilia execarentur. Sunt vero

etiam

etiam ex hoc malo mala pleraque ab ipsis impudicis mulieribus, culpandis quoque proculdubio admodum: quæ si timerent fieri impudicæ, nunquam fierent, sicut scripsit Tertullianus: Difficile mulier fit, quæ timet fieri. Quæque jam facta non potest virginem mentiri sub Deo, quanta circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot jam infantes & perfici, & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquamdiu à matribus. Etenim facillime semper concipiunt & felicissime pariunt hujusmodi mulieres, & quidem simillimos patribus. Quos si non edit:

Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit.

Dignum; nec scelus;

Quod nec in Armeniis Tygres admiserit antris:

Perdere nec fœtus ausa Leæna suos.

An, quia diffugitur labor in filiis, qui in nobis susceptus est à parentibus, tantum nefas aggredimur? Esto; pudor est prodere reatum, quasi non id Deus videat, & magis sic celatum ulciscatur? & tamen nihil pudet execrabilis criminis, nihil moratur Dei expe-

expectanda vindicta? ac vel præsentaneum corporis supplicium ultimum non timetur? Quod huic crimini decretum, Cicero, Triphonius, Paulus; acsi nec vita partui fuerit exilium, Vlpianus & Martianus aliique docent? & sicut ille rursum canit:

Quæ prima hoc statuit teneros convellere fœtus,
Militia fuerat digna perire sua.

Verum enimvero, ut alius ait, Perimuntque fœtus impiæ matres suos, & dux malorum fœmina & scelerum artifex, obsedit animos, cujus incestæ stupris fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt, & versa ab imo regna tot populos premunt. O scelere vincens omne fœmineum genus!

CAP. VI.

De Fornicatione.

EOs autem amores qui sectantur, hoc maxime probro dantur & vituperio, quod è multis malis malum quod minimum est, ut Plautus ait, habeant, quo suam possint libidinem satiare. Atqui id minimum malum non est quod Plautus dixit his verbis:

Id

Id minimum est malum, qui potest mulieres vitare, vitet; ut quotidie, pridie caveat ne faciat quod pigeat postridie. Id enim bonum est plane, si vel in nuptiis id quisque agat, ut valde bonum, si in viduitate caste permaneat; atque optimum, si in virginitate perseverans pudice vixerit, ut docti multi tradiderunt, præcipue theologi. Et nostrorum quidem aliqui etsi ineptè opinati sunt, actum conjugalem exerceri non posse, saltem sine peccato veniali. Quod tamen juste notatum est, & alii hoc ipsum dixerunt seu voluerunt, quod ex Plauto retulimus, de ipso matrimonio autoritate Canonis. Qui tamen intelligitur obtinere, cum non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis. Minimum autem omnino malum est, in amore malo, cum nequioribus prædictis facta collatione, simplex cum muliere fornicatio omnibus patente. Tales enim meretrices dictæ, ut cætera vitentur, quæ sunt pejora, dissimulantur à legislatoribus, malentibus utiq; si fieri posset, ut omni libidine abstineretur: qua corpus Christiani, habitacu-

Hu. in. c. 1. S. sed cum nat. dis. 5. Ioann. à turre ibi dē, & alibi. cū aliis. Campez. tracta. de dote. par 3. q. 49. c nervi. & ibi no. pe. Lombard. lib. 4. dis. 31. Gloss. in c. inter. de spōs.

taculum ſpiritus ſancti, fit corpus diaboli. Quo terrore revocari deberet ab ejuſmodi cujuſque bona mens: ac vel peſſimi cogitatio pudore afficietur, ſi conſiderarit, naturam humanam factam eſſe Chriſti ſponſam per incarnationem. Nimium vero dedecet, & haud cuiquam tolerandum, necnon maximè pudendum videbitur; ſororem ſponſæ, id eſt noſtram humanam naturam, proſtitui, & immunditia pollui, ut ait Clichtoveus. Sed ut ſunt mores ſeculi, nunquam non corruptiſſime effrænati, toleranda videntur majoribus ſcorta. Vnde apud Plautum Phædromus adoleſcens: Nemo huic probibet, nec vetat, quin quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emat. Nemo ire quemquam prohibet publica via, dũ ne per fundum ſeptum facias ſemitam. Dum te abſtines nupta, vidua, virgine, juventute, & pueris liberis, ama quod lubet. Ad hæc Flaccus ita:

Deſine matronas ſectarier, unde laborũ
Plus haurire mali eſt, quàm ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos virideſque lapillos,

Sit

Sit licet hoc, Cherinthe, tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius persæpe togatæ.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat apertè:
Quod venale habet, ostendit: neque si quid honesti est,
Iactat, habetque palam: quærit quo turpia celet. &c.

Nec ab re ipse etiam rursum Plautus in Curculione scripsit: Taciturnissimum ita tuum conferto amorẽ semper, si sapis, ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro. In quo est quoque adagium à Gersonensi Theologo memoratum: Si non caste, tamen caute; quo cætera etiam errata fiunt minora, publicata quidem majora, maximè propter scandalum & malum exemplum. Verum etiam hic amor per se deterrimus est, & peccatum nequam supra cætera: quemadmodum ait Apostolus: Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. & similiter quodam loco B. Cyprianus. Ideo corporale seu carnale peccatum vocatur in jure pon- c. lator. & ibi Ioan. à Tur re. 3. q. 7.

pontificum. à quo Plato maxime homines dehortatur, etiam perhibens, permultos bestiarum greges videri integre atque caste, antequam procreandi tempus advenerit, vivere: cumque hanc ætatem attigerint, marem fœminæ, & fœminam mari conjunctam juste ac sancte, in prima perseverantes amicitia, reliquam peragere vitam; oportere sane homines permultis bestiis pejores non esse, sed potius, si homines sint, meliores.

Cap. VII.

De improba Veneris bonis ac malis.

Porro hujus amoris, atque universim cæterorum malorum, opposito ante quocunq; bono eorum, sive voluptate, vere mala quam maxima omnis generis, omni in parte, multaq;, sunt perspicienda. Ecce bona & voluptates quasque maximas, ita quidem relatas à Catullo:

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus:
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Da mihi basia mille, deinde centum,
Dein usq; altera mille, deinde centum.

Dein

Deïn cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum,
Quæ nec pernumerare curiosi,
Possint, nec mala fascinare lingua.

Et à Propertio ita:

O me felicem, nox ô mi candida, & ô tu
Lectule delitiis facte beate meis.
Quam multa opposita narramus verba lucerna,
Quantaq; sublato lumine rixa fuit?
Illa meos somno lasso patefecit ocellos,
Ore suo & dixit, siccine, lente, jaces?
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Quibus etiam similia sunt illa Catulli:

Interea dum fata sinunt, jungamus amores.
Iam veniet tenebris nox adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit.

Sed jam hic quoq; in quantum maxima voluptate dolorem quendam videre est, mœstitiam, & cruciatum, ex futuræ privatione. Usqueadeo nulla est syncera voluptas, solicitum aliquid

quid læto intervenit; ut dixit Ovidius. Hoc vero præter conſcientiæ ſtimulum, & quandam aſſiduam flagellationem. Qua re pejus nequicquam mali unquam invenere: In eo quoque adipiſcendo timor ſimilis & cruciatio, infamiæ vitæq; periculum, & animi & corporis bonorumque detrimentum; ſicut ſcilicet in fruendo nunquam quies, ſed inanis vel etiam crucians meditatio, & omnimoda occupatio: ut vel illa indicant Naſonis:

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes,
Curaque, & immenſo qui fit amore dolor.
Vt voto potiare tuo, miſerabilis eſto.

Quanquam Tibullus ait:

Securum in tenebris me facit eſſe Venus,
Nec vetat obſcura ſurgere nocte timor.
Parcite luminibus, ſeu vir, ſeu fœmina fias.
Obvia celari vult ſua furta Venus.

Quibus accommodum eſt illud Propertii:

Non juvat in media nomen habere via.

Ad-

Adhæc inquit Catullus:

Si linguam clauſo tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
Verboſa gaudet Venus loquela.

Item verò Propertius:

Tu tamen interea, quāvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clauſa ſinu.
Namq; in amore ſuo ſemper ſua, Maxime, cuique,
Neſcio quo pacto, verba nocere ſolent.
Quamvis te perſæpe vocet, ſemel ire memento.
Invidiam quod habet, non ſolet eſſe diu.

L. Apulejus ſcripſit, ſomnum atque amorem diverſam inter ſe vim poſſidere: amorem vigilandi, ſomnum ſoporandi. Vigilia autem iſta ſomnus eſt quidam quibuſdam, etiam præditus ſomniis. Itaque inquit Maro:

Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Et Tibullus:

Dum mihi venturam fingo, quodcunque monetur,
Illius credo tunc ſonuiſſe pedes.

Cn. Cornelius:

Candida, clamabam, propera; cur, Candida, ceſſas?

Nox abit; & furtis lux inimica venit.
Credo equidem, assuetas animo remeare figuras:
Et fallax studium ludit imago suum.
Lucianus scribit, plerosq; amatorum mulierum, absentibus illis, opera aliqua & sermones ab ipsis habitos memoria repetere, iisque immorando morbum fallere, perinde atque si illæ ipsæ amatæ adsint. Quos quidem istos miseros & infelices amantes callidi quidam ac veteratores amasii fastidienter ducunt lactantque: videlicet quo jugiter amantes ambiant ipsos, atque inserviant. Cæterum, ex amoris fructu ne summo quidem osculo impertiunt; intelligunt enim, copia facta, dissolvendum amorem. Id igitur ne fiat, præcavent, diligenterque sui copiam subtrahunt: alioquin spe semper retinent amantes: metuentes, ne desperatio minuat cupiditatis ardorem, amantesque à se alienet. Proinde semper arrident, pollicenturque; semper facturi sunt, semper gratificaturi, semper ingentiũ sumptuum rationem habituri, donec imprudentes omnes senuerint, atque
utrisq.

utriſque jam præterierit ætas: his ad amandum, illis ad dandum. Atque ita omni vita nihil illis omnibus peractum eſt ultra ſpem meram, eamque peſſimam, peſſimo eptam. Qui ludus etiam mulieribus, ſcilicet impudicis veteratricibus, perfamiliaris exiſtit: atque ita jam utriq; amantes magno malo vincuntur; quod canit Propertius, inquiens:

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.
Viceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.

Sicut tamen idem ait:

Semper amantes, fructu ſemper amoris egentes.

Ac ii quidem interea ſcilicet alterius non carent fructu amoris peſſimi. Vnde, nec dum ſenes ætate, jam mala illius ſentiunt, & curis turbantur, opis fidæ, expertis cælibatus; quemadmodum admonet Cn. Cornelius, dicens:

Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam.
Cælibis ad curas nec vacet ulla via.

Maxime vero cum, etiamſi divites fuerint, eo facile facti ſint inopes;

haud dubie, juxta illud Martialis:
Dispensatorem fallax spoliavit amica.
Ideoque Epictetus Philosophus Adriano quærenti, Venus cur nuda pingitur? respondit:
Nuda Venus picta est, nudi pinguntur amores.
Et queis nuda placet, nudos dimittat, oportet.
Ad idem Plautus scripsit: Amator meretricis mores sibi emit auro & purpura. Mulier tantisper blanditur, dum illud quod rapiat, videt. Vnde mala nulla meretrix est, ut idem Plautus ait, sed ut ipsum enarrans explicat Baptista Pius, pessima & facinorosissima. Sane qui tanti hanc voluptatem facit, ut contemptis tot præclaris rebus, hanc unam petat, operæ pretium est multas faciat expensas, etiam circa lenones ac lenas: de quibus proverbio dicitur: Non fore meretricem aliquam, nisi lena esset. Quibus ad miseras aures non repugnantium virguncularum, inter cætera, usitata sunt verba similia his quæ canit Horatius:
Miserarum est, neq; amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut exanimari

animari metuentis patria verbera linguæ.

Et quod habet Ausonius:

Vtere rene tuo; casta puella anus est.

Nec ab re Sannio Terentianus ait; fateor, leno sum, communis pernicies adolescentium, perjurus, pestis. Quin & turpes hæ personæ probe suis pinguntur moribus etiam à Plauti lenone ita loquente: Non tu scis? hic noster quęstus aucupii simillimus est. auceps quando concinnavit aream, effundit cibum, aves assuescunt: necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum. sæpe edunt, semel si sunt captæ, rem solvunt aucupi. Item hic apud nos ædis nobis area est: auceps sum ego, esca est meretrix: luxus, illex est: amatores, aves. Bene salutando consuescunt, compellādo blandirer, osculando, oratione vinula, venustula, si papillam pertractabit. Haud est ab re aucupi; suavium si sumpsit, sumere eum licet sine retibus. Portitorum similimæ sunt januæ lenoniæ, si adfers, tum patent: si non est quod des, ædes non patent. Idcirco etiam Tibullus, ceu impudens amator, ita deprecatur:

Iam tu qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix, urgeat ossa lapis.
Tu procul hinc absis cui formam vendere fas est,
Et pretium plena læta referre manu.

Sicque magis divitem petunt hi, atq; meretrices, quam pulchrum: ut voluptuosior etiam per se solet esse dives atque elatior & pronior ad injuriam. Vnde Phocylides, non bonum, ait, esse abundantem mortalibus utilitatem: multas enim delitias ad immoderatos trahere amores; & has, facientes scilicet divitias multas, superbos etiam reddere homines, & ad injuriam proniores. Quanquam pulchri fere libidinosissimi sunt. Vnde Plautus militem impudicum gloriose & falso inepteque de se prædicantem facit ita: Nimia est miseria, nimis pulchrum esse: molestæ sunt, orant, ambiunt, obsecrant; videre ut liceat, ad sese accersi jubent, ut una liceat adire operam negotii. Nec ab re Marullus gentis nostræ Poëta inquit:

Au fait d'amours beau parler n'a plus lieu,

Car

Car sans argent vous parlez en Hebrieu,
Et fussiez vous le plus beau filz du monde.

Cæterum prolixe narrat impudicæ mulieris mores sapiens Hebræus in adagiis. Adhæc cōsideranda est istiusmodi amoris brevitas, & inconstantia nihilominus ac dolor varius, magnus & multus, infelicitas & mors ex eo contingens, ipsoque per se fœdo admodum ac pravo. Qua in re Propertius in primis ita canit: c.7.9.23.

---Nullus amor faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.
---- Mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor.

Hocque, licet antea scilicet constantia fuerit promissa, assertaque maximè, & dictum vel illud ejusdem:

Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.
Sis quodcunque voles, nō aliena tamen.
Quave mihi viles isti videantur ocelli.

Et illud Catulli:

Nulla potest mulier se tantum dicere amatam,

 Nulla

Vere, quantum à me, Lesbia, amata, mea es. (*tanta,*
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere
Quanta in amore suo ex parte reperta mea est.

Itaque etiam inquit Propertius:

O nullis tutum credere blanditiis,
Nulla ne finis erit nostro concessa dolori?
Te non ulla mea læsit petulantia lingua.
Sed tu non debes inimicæ credere linguæ.
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notã.
Hoc unũ didicit fœmina semper opus.
Nõ sic incerto mutantur flumine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto,
Quam cito fœminea non constat fœdus in ira.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis,
Nulla diu verbi fœmina pondus habet.
Ferre ego formosã nullũ onus esse puto,
Formosam raro non sibi quisque petit,
Formosis levitas semper amica fuit.
Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nullus liber erit si quis amare volet.

Tum Cornelius Gallus:

Solve precor miserã tali de corpore vitã;

Mors est jam requies, vivere pœna mihi.
Non sum qui fueram, periit pars maxima nostri.
Hoc quoque quod superest, languor & horror habet.
Lux gravis in luctu, rebus mœstissima latis:
Quodque omni est pejus funere, velle mori.
Cogimur à gratis animum suspendere rebus.
Atq; ut vivamus, vivere desinimus.
Stat dubius tremulusque senex semperq; malorum
Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
Hoc tantũ rectũ quod sapit ipse putat,
Se solum doctum se judicat esse peritum:
Et quod sit sapiens, desipit ipse magis.
Multa licet nobis referens eademque revolvens
Horret, & alloquium conspuit ipse suum.
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.
O sola fortes garrulitate senes.
Omnia nequicquam clamosis vocibus implet.

Nil satis est: horret, quæ placuere modo.

Arridet de se ridentibus, ac sibi plaudens,
Incipit opprobrio lætior esse suo.
Hæ sunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris gressibus ima petit.
Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,
Non species eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demisso corpore vestis:
Quæq; brevis fuerat, jam modo longa mihi est.
Contrahimur, miroque modo decrescimus ipsi.
Diminui nostri corporis ossa putes.
Nec cælū spectare licet: sed prona senectus
Terram, à qua genita est, & reditura, videt.
Fitq; tripes prorsus, quadrupes, ut parvulus infans,
Et per sordentem, flebile, serpit humū.
Ortus cuncta suos repetunt, matremq; requirunt.
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Iam pœna est totum quod vivimus; urimur æstu. Offi-

Officiunt nebulæ, frigus & aura nocet.
Ros lædit, modicoq́ etiam corrumpimur imbre,
Veris & Autumni lædit amœna dies.
Hinc miserum scabies, hinc tussis anhela fatigat:
Continuos gemitus ægra senectus habet.
Si modo non possum, quondam potuisse memento:
Sit satis ut placeã, me placuisse prius.
Permanet in validis reverentia prisca colonis.
Quod fuit in vetulo milite, miles amat.
Rusticus expertum deflet cessisse juvencum:
Cum quo cõsenuit miles, honorat equũ.
Sum grandævus ego, nec tu minus alba capillis.
Respuit amplexus, heu, stupefacta meos.
Iamque alios juvenes aliosque requirit amores:
Nec meminisse volet transacta dulcia vitæ:
Nec quod me potius reddidit ipsa senẽ.

Etenim libidinosa & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti, ut ait Tullius. Vnde etiam inquit Tibullus:

Heu, sero revocatur amor, seroque juventa,
Cũ, Venus, infecit cana senecta caput.

Et ait Ausonius:

Sed modo quæ nobis lucrosa libido videtur,
Iacturam senio mox subeunte feret.

Atque non ab re Xenophon dicit, voluptate juvenes corporibus debiles fieri, in senio vero amentes. Et commodè B. Cyprianus, obscœnum ludibrium, ait, nec corporibus parcens, nec animis. Item Xenophon scribit, dictum scilicet ab Homero, Vlyssis errantis socios in sues conversos à Circe, quos videlicet ipsa in sues quasi verterat luxuries. Non adeo sane unquam homo fit similis pecori, ac præcipue sui, animali spurcissimo, gaudenti volutabro, quam agens libidinosam istam impuritatem. Insuper, ut ait Epictetus Philosophus, Venus straba est, quia pravus est amor. Hæc libido scilicet, honestatis noverca est, dum quid expediat nescit; semper est majestati contraria. Atq; cum sint quatuor ebrietatis genera: primum, vinolentia; secundum, rerum oblivio: tertium insania; quartum, libido

libido est. Vnde nomina hæc quatuor Bacchi acceperunt, Bacchæ dictæ sunt, ut tradit Fulgentius. Itaque etiam Plautus: nimis vile est vinum atque amor, si ebrio atq; amanti impune facere, quod libeat, licet. Et à Iustiniano amore Bacchata mulier dicitur. Præterea Plautus ita de amore scripsit: Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent: cura, ægritudo, nimiaq; elegantia. Hoc non modo illum, qui amat, sed quemcunque attigit, magno atque solido multat infortunio. Nec pol profecto quisq; sine grandi malo, præterquam res patitur, studet elegantiæ. Sed amori accedunt etiam, his quæ diximus, insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga, ineptia, stultitiaque adeo & temeritas, incogitantia, excors immodestia, petulantia, cupiditas, & malevolentia. Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria, inopia, contumelia, & dispendium. De quo quidem dispendio jam supra dicta sunt. Ait vero etiam Luxuria apud eundem in trinummo: Primum mi Plautus nomen Luxuriæ indidit, tum mihi hanc gnatam esse voluit Inopiam. Vt intelli-

§. fi. just. de success. que fieb. per.

telligatur ipsa libido ; atque omnis, quæ illi adesse solet, luxuria, inopiam parere omnem, interea scilicet dum minima quis utitur copia. Quemadmodum canit Petrarcha:

In somma sò, come inconstante e vaga,
Timida, ardita, vita de gli amanti,
Ch' un poco dolce molto amaro appaga.
E sò i costumi, e i lor sospiri, e i canti,
E' l parlar, rotto, e'l subito silentio,
E'l brevissimo riso, e i lunghi pianti,
E qual è 'l mel temprato con l'assentio.

Nimirum & Plauti amator, Igitur, inquit, hoccine est amare? arare mavelim, quàm sic amare. Ibi hoc malum ego inveni; voluptatem ægritudo vincit, adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit. Nunc si ullus deus amaret plus annis decem, plus jam viginti mortuum esse oportuit, terræ odium. ambulat, jam nihil sapit, nec sentit. tanti est, quanti est fungus putidus. Memorant &, Platonem dicere solitum, quoties hominem amore irretitum videret: ille in copore proprio mortuus est, vivit in alieno. Quã multis item non solum morbis, sed etiam aliis tristissimis casibus puniuntur heluationes & libidines? Nec

pro-

profecto illæ pœnæ casu accidunt, ut inquit Melanchthon. Inter hæc autem, duo præcipue amori malo exitiosa & incomparabilis incommodi accidunt mala, sæpe divino judicio. Vnum est incurabile atque inextinguibile quasi inferum sulphur, corpori inhærens morbus, adusque vivum & medullas penetrans, languidum corpus faciens, exuccum, putridum, deforme, cruciatus mirandum in modum exquisitos & tormenta inenarrabilia inferens; Variolam vocant & medici. Sed hi sane, hoc ac pleraque alia ad physices & medicinę referentes scientiam, sua medica arte efflictim falluntur, ac una fallunt inscios ac stupidos. Tametsi haud scio, an alicujus tanta habitudine impeditum est cerebrum, ut non aperte videat immissum à cœlis hoc malum, non à planetis astrisque collucentibus, sed ab excandescente ira Dei, in scelus coram oculis Dei inter cætera nequissimum, atque horribile, insupportabileque, ingratissimum, indignissimum, inexcusabile omnino. Quam grave, ut ex humo membra etiam quodammodo facta ad imagi-
nem

nem Dei, membra consecrata spiritui Dei, membra Christi, templum Dei vivi, faciam membra meretricis, coaptem diabolico ac inimico Dei conjugio seu concubitu, cum etiam melius, penitusq; divino possim ac Deo probato idem quod expedit & oportet assequi, si meipsum scilicet continentiæ non subjecero: quod temere faciendum non est. Deus proculdubio matrimonium instituit, & adfuit iterum in sua secunda persona carne vestitus humana matrimonio; quod factum est in Cana, vico Galilææ, beati ut traditur, Ioannis Euangelistæ. Quanquam opera carnis hoc vacaverit, sicut & matrimonium Ioseph, quod fuit cum virgine Dei matre. Ex qua inquam ipse Deus, etiam matrimonio spiritus sancti mysteriū velante, carnem assumere voluit, pro redemptione nostra, & amore, quo verè nos dilexit maxime. Dixit & per suum Apostolum gloriosum Paulum, ut qui non se potest continere, nubat; melius enim esse nubere, quam uri: & ut quisque ita propter fornicationem uxorē habeat. Quo institutum primum ad officium matrimonium,

nium, patet jam esse quoq; ad remedium, ut fusius theologi catholici docent, sicque, ut se habet illud Lucretii:

Nec Veneris fructu caret, qui vitat amorem:
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.

Quo major est indignatio Dei, in illos, qui lasciviunt, spreto legitimo conjugio, vel prohibito suscepto perperam voto. Quos (ut canon habet) rectius fuerat hominum subiisse conjugium, & ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes cadere in profundum inferni. Mirum hoc sane, quo indignitas Veneris exlegis, contraq; dignitas matrimonii, palam sit: cum frequenter cognitum sit, etiam juvenes, etiam corpore sanissimos, & integerrimos, etiã nulli alii, quam sibi invicem ipsis fornicatione inservientes. cum non putent, subito corripi eo malo, quemadmodum Maria leprâ, cum fratri Moysi detraxisset, tamen id nunquam ullo in matrimonio, etiam in temperatissimis conjugibus, accidere visum est. Huc accedat, quod facile quidem sanantur ii, qui

c. si Paulus. 32. q. 5.

qui ab impudicis illam contraxerunt contagio labem, impudenter vel cubando, vel bibendo una, uno canthàro (quod de rivalibus Plautus ait) potando: qui vero ipſa contraxerunt impudicitia malum, hoc nullo modo unquam ſatis curantur. Alterum eſt malum, omnino maximum, damno & malo, ſine controverſia, alia quæq; damna & mala penitus ſuperans, irreparabileq;, libidinis ad extremum inſana pertinacia: malum certe palato & linguæ, ut ita dicam, animæ præcipue acerbum, aſperrimum, graviſſimum omnino. Quo qui ſunt adfecti, ſimile mihi pati videntur veneno adflictis dipſadis. Sunt autem dipſades beſtiolæ in Libya; ſerpentum omnium nocentiſſimi, nō admodum magni, viperæ ſimiles: quos arena nutrit. Ova pariunt qualia fere Struthionum magnorum eſſe perhibentur, eaque ſtudioſe gentes vicinæ indagant, non edendi tantum gratia, ſed quod illis evacuatis pro vaſis utantur, maxime vero poculis: quoniam nequaquam figulinam exercere poſſunt, cum terra inibi ſit arenoſa. Dipſades vero inſidioſe excubantes,

cum

cum quempiam accedentem vident, mox ex arena prorumpunt, & ipsum sæpe adsequentes feriunt ictu. Qui quidem veneno crasso dolores ilico inducit intolerabiles, incurabilesq; : necnon sitim perniciosiorem : quam dum percussus potu sedare putat, auget, eo crassum illud venenum movens, & humidius reddens, ac per omnia membra diffundens; ac sic, cum incendatur corpus, & ardores patiatur inextinguibiles, & putredines, totumque aduratur incendio, percussi clamant, non secus, atque illi, qui in ignem conjecti sunt : quantoq; plus biberint, tanto magis potum expetunt, ac subinde magis ac magis potando crescit bibendi desiderium, ipsumque simul malum ; quo, bibentes quantum fieri potest, & nihilominus sitientes magis, tandem infelicissime moriuntur; ut docet Lucianus. Idque narrat in bello civili evenisse Catonis militibus per Libyam transeuntis, pręcipue vero uni, Lucanus, his elegantissimus versibus :

Has inter pestes duro Cato milite siccum
Emetitur iter : tot tristia fata suorum,
Insolitasque videt parvo cum vulnere mortes.

Signi-

Signiferum juvenem Tyrrheni ſanguinis Aulum,
Torta caput retro dipſas calcata momordit.
Vix dolor aut ſenſus dentis fuit: ipſaque lethi
Frons caret invidia: nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit virus tacitum, rapuitque medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fuſum
Peſtis, & is ſicco linguam torrere palato
Cœpit. defeſſos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atque oculos lachrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœſti jura Catonis,
Ardentem tenuere virum, quin ſpargere ſigna
Auderet, totisq; furens exquireret agris,
Quas poſcebat aquas, ſitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanaim miſſus Rhodanumque Padumque
Arderet: Nilumque bibens per rura vagantem,
Acceſſit morti. Libyæ, fatique minorem
Famā dipſas habet terris adjuta peruſtis.

Scru-

Scrutatur venas penitus squalētis arenæ.
Nunc redit ad Syrtes, & fluctus accipit ore.
Æquoreusque placet, sed non sibi sufficit humor.
Nec sentit fatique genus mortemque veneni.
Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.

Res mira sane, & maxime omnibus tremenda impudicis: notum, plerosque, homines etiam non indoctos, adeo accensos libidine, ut ne quidem morientes aversarentur meretricem, qua cum diu vixerant impudentes: imo ad extremos usq; singultus juxta se habentes illam, oscula peterent, & exciperent: eoq; scilicet manifestum facerent futurum in eos Dei supplicium, in quo vere ardentes semper, desiderarent vel guttam aquæ linguam refrigerantem, magis quam διψῶντες ἐκ τῆς πληγῆς τῆς διψάδος. Hoc magnum nimis & miserandum malum non obscurę docuit sacer Proverbiographus, cum dixit: Fovea profunda meretrix, & puteus angustus aliena. Omnes qui ingrediuntur ad eam,

i.e. sitientes ex plaga dipsadis.

eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. Et Iob, dicens: Si deceptum est cor meum super muliere: hoc enim nefas est, & iniquitas maxima, ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina. Et Oseas ita: Fornicatio, & vinũ & ebrietas auferunt cor; ligavit enim spiritus fornicationis deceptos in animis suis. Et confundentur à sacrificiis suis: non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationis in medio eorum: hoc est diabolus; qui de fornicatione præcipue potest homines tentare; à qua denominatur ita, ut aliâs ab aliis vitiis, quibus peculiari-
l.2.dist. ter præsidere datum; ut tradit Petrus Lombardus in sententiis theologicis.

Cap. VIII.

De vehementia amorum, qua volentes tantum ac insipientes comprehendit, & illis mire insidiatur.

c. quis 50.dist. AT enim non me latet; magnum ac difficile penitus esse se continere.

tinere. Vnde Canon, Paucos inveniri ſine carnis vitio, habet. Et plane ait Hebræorū Sapiens: Non poteſt quis eſſe continens, niſi Deus det. Quod & latius & eleganter dicit B. Cyprianus, libro de bono pudicitiæ. Ille vero rurſum, Multos, inquit, vulneratos dejecit, ſcilicet meretrix & incontinentia, & quique fortiſſimi interfecti ſunt ab ea. Quibus verbis conveniens eſt illud, quod ſcribit Ariſtot. in Politicis, videri, qui primus fabulatus eſt, non ſine ratione Venerem Marti conjunxiſſe, quoniam omnes hujuſmodi, milites videlicet, proni ſunt ad Venerea, illiſque obnoxii quodammodo. Vnde Claudianus de bello Gildonico cecinit, quod in omnibus bellis dici poſſe videmus:

Nulla quies oritur: præda ceſſante, libido:
Divitibuſque dies, & mox metuenda maritis.

Quanquam in milite ratio pudicitiæ magis requirenda, quam in alio, ut quidam noſtrorū ſcripſit. Sane etiam Iulius Cæſar, qui inter milites, imo duces, imo homines omnes tantum enituit, ut ejus ductibus decies centū Chaſ. conſ. 39.

&

& nonaginta duo milia hostium cæsa sint, præter eos quos in bellis civilibus fudit, tam libidinosus omni ex parte fuit, ut Curio pater, quadam oratione, eum omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellaverit. Consentaneum est quoque id quod ait Origenes, vinci armatos forma mulieris. Et quod Fulgentius, Carthaginensis Episcopus, in mythologiis de Hercule ait: Muliebris illecebra major est mundo: quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compressit. Cæterum itidem humana, inquit, virtus, quamvis ad omnia munita, tamen libidinis ictibus subjacet patula. Nec ab re P. Ovidius ait:

Et Venus ex tota gente tributa petit.

Plato inquit, omnes voluntates ab amore superari, eumque dominari. Xenophon, coli, captarique à fœminis splendidis ac summopere magnificis, plurimum habere voluptatis: Lucianus, fœmineum genus, etiam si saxeum fuerit, amari dixit. Adeo vero placet libidinosa voluptas, ut nequicquam grave pati durum sit, ut ea potiatur quidem sæpius omnino, non quod

quod ametur impudica mulier. Quã-quam ea vulgo dicitur amica. Et Masurius Iureconsultus dixit, Quæ uxor non est, & cum aliquo impudice habitat, dici amicam vero nomine. Quæ quidem quodammodo amari videtur atq; amare, sed magis unusquisque ejusmodi propriam voluptatem amare videtur: habeturque verius talis mulier, quemadmodum Erasmus habet, pro matula. Adhæc canit Claudianus:

Paupertas me sæva domat, durusque Cupido.
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

Sex. Propertius:

Multi longinquo periere in amore libenter.

Sed & jam scilicet assuetum amorem hujusmodi non est facile relinquere: sicut canit Tibullus:

Difficile est longum subito deponere amorem.

Et Propertius:

Omnes humanos sanat medicina dolores.
Solus amor morbi non amat artificẽ.
Differtur, nunquam tollitur omnis amor.

Ovidius :

Amor non est medicabilis herbis.

Æſchinus Theocriti :

Κ' ὅ,τι τὸ φάρμακόν ἐστιν ἀμηχανέοντος ἔρωτος
Οὐκ οἶδα.

i.e. Quod nam vero ſit Pharmacum inconſulti amoris,
Ignoro.

Verumenim vero clarum eſt nos ejuſmodi volentes maxime irretiri : ut Gallus canit :

Interdum rapimur vitiis, trahimurque volentes.

Nolentes autem nequaquam trahimur propter liberum arbitrium , nobis tributum à Deo , nedum à Chriſtianis catholicis, verumetiam à Philone Iudæo, & Ethnico Platone , ut alios mittam, aſſertum. Vnde ille verſiculus : ἔργων πονηρῶν χεῖρ' ἐλευθέραν ἔχε. Cui accommodari poteſt illud Caii jureconſulti in fragmentis relatum : Qui neque ſequantur, neque ducantur. Qui enim volens non ſequitur tentatorem , neq; ab eo ducetur nolens. Quandoquidem ut vere habet vulgatum B. Gregorii verbum: Debilis eſt hoſtis , non vincit niſi volentē. Item vero ait Propertius :

i.e. à malis operibus liberā manum habe.

Omne

Omne in amore malum, si patiare, leve est.

Et Ovidius:

Posse pati, facile est. Tibi ne patientia desit.

Et Xenophon ait, flagitiosos homunciones cupiditatibus omnibus se præstare inferiores: deinde amores accusare. at honestos atque probos viros, etsi hi quoque cupiunt & aurum & equos bonos, & mulieres pulchras, ab his tamen omnibus facile posse abstinere, ut non his magis, quam deceat, subditi sint. Idemq; injustum Sophistam vocat amorem. Quem plerique omnes dixerunt deum, cum minime deus sit iste, sed ut ait Phocylides, πάθος ἀΐδηλον ἁπάντων, & ut dixit Andrelinus vates, Amaror & error. Atque lapsum amoris, hunc amorem definit Varenius, verum quidem amorem esse dicens, quo quis amans, in pulchrum fertur: quod est solum amabile, tantoque amabilius, quanto pulchrius: in quo discernendo judicio bene consulto est opus. Et cavendum ne quis etiam pulchrum arbitratus amet, quod revera fœdissimũ est, ostenso melle, venenum bibens

i.e. noxia omnium passio.

noxium, dulci falſus prælibamento. Qualis eſt Veneris gravis, Veneris odioſæ, Veneris mortalibus inimicæ filius, iſte Amor. Cui mentes malæ, dulcis loquela. Non enim æquale intelligit, & loquitur, ſicut mel, vox ejus. Si autem iraſcitur, mens eſt crudelis. Deceptor, nihil vere dicens: doloſus infans, ruſtica ludit. Bene comatum caput, habet autem impudentem vultum. Ne quid tangas deceptoria dona: hæc igne omnia tincta ſunt, inquit Theocritus. Quemadmodum alius:

Noxia dona time: quicquid tetigere, perurunt.

Tum, ut commode habet Eraſmus,

Mollibus hic ſtudet illecebris, indulget amori,
Blandaq; mortifera gaudia carnis amat.

Nec inepte cecinit Claudianus:

Luxuries, prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis, hebetat caligine ſenſus;
Membraque Circeis effœminat acrius herbis.

Porro vero non mirum, ait Ficinus, ſi pate-

patefactus oculus & intentus in aliquem radiorum suorum aculeos jaculatur, atq; etiam cum aculeis istis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineum vaporem illum, quem spiritum nuncupavimus, intendit. Hinc virulentus aculeus transverberat oculos: cumque à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia quasi regionem propriam repetit: cor vulnerat: inque ejus duriori dorso hebescit, reditque in sanguinem. Peregrinus hic sanguis à saucii hominis natura quodammodo alienus, sanguinem ejus proprium inficit, infectus sanguis ægrotat, hincque duplex sequitur fascinatio. Cujusmodi etiam aliqua perimit. De qua referuntur multa à Baptista Pio ad Sidoniū: aspectus fœtidi senis, & mulieris menstrua patientis, puerū fascinat: aspectus adolescentis fascinat seniorem. Quoniam autem senioris humor frigidus est, atq; tardissimus, vix dorsū cordis attingit in puero, & ineptus ad transitum, cor, nisi propter infantiam sit mollissimum, parum admodum commovet. Hæc ideo levis fascinatio est: illa vero gravissima, per quam junior

transfigit præcordia senioris, ut in affectu quoque amoris evenit. Et tunc mortales summopere fascinantur, quando frequentissimo intuitu aciem visus ad aciem dirigentes, lumina jungunt luminibus, & longum miseri combibunt amorem. Sicut etjam canit Ovidius:

Dum spectant læsos, oculi læduntur & ipsi.
Multaque corporibus transitione nocent.

Et quemadmodum illud etiam habet Vergilii:

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo,
Fœmina.

Sicq; Agrippa in Magia: scias, inquit, tum maxime fascinari, quando frequentissimo intuitu aciem visus ad aciem dirigentes oculi oculis reciproce inhiant, radii radiis copulantur, & lumina luminibus junguntur. Tunc spiritus spiritui jungitur, & scintillas defigit: sic fortissimæ ligationes, sic amores acerrimi, solis oculorũ radiis accendentur: etiam vel repentino quodam intuitu veluti jaculo seu ictu totum corpus pene-

tran-

trante: unde tunc ſpritus & ſanguis amatorius ſic vulnerati non aliter in amantem & faſcinantem feruntur, quam ſanguis & ſpiritus & vindictæ alicujus cæſi prolabuntur in cædentem.

CAP. IX.

De remediis amorum.

IN remediis igitur hoc primum, ut monet Ficinus, eſt cavendum, ne intentiores oculos quiſquam habeat vel admittát ad libidinem. Cavendi quoq; reliqui luxus. Nam luxus luxum trahit, non ſecus quam annulus annulum in catena. Nimirum ſic Pittacus, teſte Ariſtotele, ebriis indixit pœnam capitalem. Legimus, virum ſanctum in convivio imprudenter effuſiore cibo potuque ſumpto, in adulterium, atq; hinc in homicidum prolapſum. Hæcque fuit proculdubio iniquitas Sodomæ, ut Ezechiel quoque ait: גאון שבעת לחם ושלות השקט:
Et ita Ovidius:

Ergo ubi viſus erit noſtra medicabilis arte,

Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc ut ames faciunt, hæc quæ fecere tuentur,
Hæc sunt jucundi causa cibusq; mali.
Languor, & immodici sub nullo judice somni,
Aleaque, & multo tẽpora cassa mero,
Eripiũt omnes animo sine vulnere vires.
Adfluit incautis insidiosus amor.

His enim & similibus luxibus & progigni ardorem quendam igneum in corporibus nostris, manifestum est, & testatum quoque à B. Hieronymo, cum dixit, ventrem mero æstuantem facile despumare in libidinem; & ab Aphro Poëta, dicente, sine Cerere & Baccho frigere Venerem. Sane hoc ardore amorem istum accendi, etiam nonnemo dixit ostendi, quod Venus nupta sit Vulcano. Tametsi id quoq; denotare possit, quod amantes iracundi sunt, sicut Lucianus testatur. Ea vero in parte, scilicet, divites ac maximi quique plurimum metuant, necesse est. Quoniam, ut canit Ovid.

Divitiis alitur luxuriosus amor.

Et Seneca:

Dum quis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, semper insolita appetens,

Tunc

Tunc illa magna dira fortuna comes
Subit libido. non placent ſueta dapes,
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues ſubit
Hæc delicatas eligens peſtis domos?
Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus?
Mediumque ſanos vulgus affectus tenet?
Et ſe coërcet modico? contra, divites,
Regnoque fulti, plura, quàm fas eſt, petunt?

Dixeris quod jam primum idem dixit, & ſimiliter Claudius ad Honorium imperatorem:

- - - - Proclivior uſus
In pejora datur, ſuadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrana favet: tunc vivere caſtè
Aſperius, cum prompta Venus; tunc durius ira
Conſulimus, quum pœna patet. ſed comprime motus:
Nec tibi quid liceat; ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat: mentemque domet reſpectus honeſti.
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe

Facta

Facta palam, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis. nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.

Metuat & sibi magnopere oportet imbecillius animaculum, mulier, ne quavis re decepta fenestram aperiat luxuriei; quæ & aliam fenestram & portam referet, neque unquam claudet. Vix enim semel pudica mulier facta, rursus amplectitur pudicitiam. juxta proverbium, quod Gallice quidam ita dixit:

Elle ne sen tiendra jamais, puis qu'eli'y est affriolee.

Notat an gel. in §. quãobrẽ. auten. de rest. si t ea quæ par.

Ait & Ovidius:

--- Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia deperit illa semel.

Hincque jus nostrum, quam constat adulterasse semel, facile præsumit, postea adulterium committere. Dicitur & meretrix, quæ peccare desiit; ut notat Sedulius in Pauli epistolas. Ac sic Propertius quasi impudicas alloquitur;

Vos ubi contempti rupistis fræna pudoris,

Nescitis captæ mentis habere modum.

Deinceps qui se occupari hoc tormento repererit, totas undique vires suas ocius colligat & opponat. Tantum abest ut (quod plerique inanis gloriæ causa faciunt, gaudentes se amore arripi) summo cum malo illi se dedat. Nam qui in amore præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat, ut Plautus ait. Primum est, ut quam citius fieri poterit, & ante quam morbus invaluerit, rei totius fidos sibi certiores faciat. Dixi fidos: nam malum hoc evelare facile est, & ultroneum: sicuti canit Corn. Gallus:

Certe difficile est abscōdere pectoris æstus.

Sed id oportet dicere benevolis, quo juvent nos. Proinde canit Ovidius:

Semper habe Pyladem lateri, qui curet Orestem.

Hic quoq; amicitiæ non levis usus erit.

Inquit & Cornelius:

Dicito &, unde novo correptus carperis (igne.

Dic precor, & dicti sume doloris opem.

Non intellecti nulla est curatio morbi.

Et Propertius:

Dicere quo pereas, sæpe in amore juvat.

Adhæc ante omnia alio eundum est commode, ut maxime ejus, cujus amore

more teneris, & visum & auditum perdas. Vox enim mulieris, cantus quasi Syrenæus perdens. Et propter speciem mulieris multi perierunt, inquit Syrach filius:

Crescit enim assidue spectando cura puellæ.
Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor.
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Vt Propertius habet. Itaque inquit Ovidius:

Tuque tamen quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.
Flebis, & occurret desertæ nomen amicæ.
Stabit & in media pes tibi sæpe via.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento.
Perfer: & invitos currere coge pedes.

Neque enim ad id quod sponte sensus amore fascinati volunt, est respiciendum: cum præsentia ejus rei gaudeant, quam amãt, etiam cum quantocunque cruciatu. Vnde idem etiam in transformationibus inquit:

Votum in amante novum est. Vellem, quod amamus, abesset.

At quid, si absentem esse non sinat aliqua res, faciendum est misero amatori? hujusmodi enim multæ omnino esse

esse possunt multis hominibus. Parum revera non est resistere tot quidem cupiditatibus, tantis autem spectaculis atque aurium illecebris undiq; attrahentibus ac detinentibus: sed oportet omnino Vlyssis exemplo præternavigare illa: non equidem ligatis manibus, ut ille; nam hoc formidolosum foret: neque etiam auribus cera obturatis: sed audientem atque liberum & vere animum super hæc elatum habentem. Quod maxime par est facere hominem Christianum, ac vel doctum: cui licebit & Philosophiam mirari, conferendo cum ipsa tantam humanam amentiã, & stultitiam: & illa quæque contemnere: ut Lucianus docet. Nec ab re est, quod hic, & multi poëtæ Græci, præcipue vero Homerus in hymno Veneri dicto, nihil immune à Venere ajunt, præter Palladem, Dianam, ac Vestam: hoc est, scientiam & laborem, cum religione constanti: qui videri potest funiculus triplex, à sapiente Hebræo dictus difficilis ut rumpatur: & Theocritus ait, nullam sibi aliam ad amorem medicinam videri, quę vel iungatur, vel spargatur, quàm

Pierides, hoc est Musæ & disciplinæ: quas nec potu lædet Circe, vel sane earum familiares & amatores veros. Qui quoniam perpauci reperiuntur, Ovidius dixit:

Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.
Sed cui tantum animi est, illum mirabor & ipse,
Et dicam: monitis non eget iste meis.

Sed & alia observanda traduntur etiã absentibus. Nam si abest quod ames, præsto simulacra tamen sunt illius, & nomen dulce obversatur ad aures:

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Absterrere sibi, atque alio convertere mentem.
Vlcus enim viuescit & inveterascit alẽdo:
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes vulnera plagis,
Volvivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.

Vt ait Lucretius. Idq; Paulus Ægineta generaliter censuit, mentem ad alias curas abducendam esse ei, qui amore correptus est. Et edoctus est juvenis novercam deperiens, quoties ad coi-

tum

tum inflammaretur, cum alia rem agere, quo se vehementer sedari & vinci animadvertit. Neque sunt prorsus indomiti quantũvis ferocientes huiusmodi & flagrantes libidinis impetus; æstusq; cupidinis maximi ita solvuntur: etiam ut monet vulgi dicterium, solitum in eos, qui vel ducturi uxores quasi indomiti coitus voluptate futura subgestiunt: satiato pendebunt mox tibi ceu asini lassi auriculę. quo probe se purgat amicę, quod ancillam non amet, Ovidius, dicens:

Aspice, ut auritus miserãda sortis asellus
Assiduo domitus verbere tardus eat.

His accedit Cicero, censens, affecto amore hanc adhibendam curationẽ, ut ostendatur quam leve, quam contemnendum, quam nihil sit omnino, quod concupiscitur, quam facile, vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit: abducendo etiã ad alia studia, solicitudines, curas, negotia; & loco mutando, tanquam ægrotum non convalescentem scilicet. Nam ut ait Alexander ab Alexandro, Ferè constat homines ex ancipiti morbo locorum mutatione & sereniore cælo plerunq; levari, ac scilicet

nativo & patrio maxime. Adhæc B. Ambroſius refert, fabulis ferri, adoleſcentem quendam poſt amores meretricios peregre profectum, & abolito amore, regreſſum poſtea veteri occurrentem dilectæ, ne interpellaſſe quidem illam: ac cum ea mirata putaret non ſe agnitam, ideoque rurſus obviam illi facta diceret: Ego ſum, ipſum reſpondiſſe: ego non ſum ego. Et Petrarcha fabellam dicens amatoriam apud vulgus, eſſe narrat quendam, qui cum monoculæ mulieris amore correptus, à parentibus tandem morbo conſulentibus, in alias oras miſſus eſſet, & poſt aliquot annos amore depoſito, in patriam reverſus, forte illi, quã vehementer amaverat, obvius factus eſt, ac repente triſti concitus ſpectaculo quæſivit, quo nã illa caſu oculum amiſiſſet: illa vero ut par erat, reſpondit, Minime oculũ amiſi: ſed tu oculos inveniſti. Sed ut Rhetor Fabius ſenior ait, amantes de forma iudicare nõ poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor. Id quod multis demonſtrat poſterior Mantuanus vates, aitq;:

Ludit amor ſenſus, oculos perſtringit, & aufert

Liber-

Libertatem animi, & mira nos fascinat
arte. *(flammam*
Credo aliquis dæmon subiens præcordia,
Concitat, & raptam tollit de cardine
mentem.

Quamobrem id maximum in remediis cum cæteris intelligendum est, ut quis devotus sit erga divina, vivatque secundũ Deum quam fieri potest maxime: quippe etiam, ut divus ait Hieronymus, adversum iuvenes & puellas ætatis ardore hostis noster abutitur, & inflammat rotam nativitatis nostræ, & implet illud Oseæ: Omnes adulterãtes, quasi clibanus; corda eorum, quę Dei misericordia & ieiuniorum rigore restringuntur. Item aiunt Cicero & Petrarcha, novo quoque amore quodam veterẽ amorem, tanquam clavum clavo, eiiciendũ. Quod & facere videtur Theocriti Cyclops, Galateam deperiens puellam, & cum ea frui non posset seipsum consolans, quod inventurus esset Galateam forte & pulchriorem aliam, & multæ colluderent secum nocte puellę. Maxime autem admonendus est insanus amator simul, ut (quod supra voluimus) cogitet, omnibus ex animi perturba-

tionibus nullam esse amore vehemẽtiorem, ipsamq; perturbationẽ mentis in amore per se fœdam esse. Ficinus quoq; ait: Si quid in amati animo vel corpore vitii est, diligenter animo revolvendum: ac, quod supra diximus, pluribus gravibus negotiis animum adplicandum, nulloq; modo sinendũ esse in otio: ne scilicet vel alio modo peccet; quod omnino est vitandum. Neq; enim in Syrtim incidendum est, vel Scyllam, ut vites Charybdim. Etenim, ut ius etiam nostrũ habet, otiositas & voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas illaqueandas: & Cupido cum Venere matre colloquens apud Lucianum, Musas se non attingere, ait, quod semper aliquid agant & meditentur. Ad quod pertinent illa B. Hieronymi: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis: facito semper aliquid, ut diabolus te inveniat occupatum. Nec absone cecinit Ovidius:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:
Contemptaq; jacent & sine luce faces.
Quam Platanus rivo gaudet, quam populus unda,
Et quã limosa canna palustris humo,

Tam

Tam Venus otia amat: Finem qui quæris amori,
Cedet amor rebus: res age, tutus eris.
Desidiã puer ille sequi solet, odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora, sunt leges, & quos tuearis amici.
Vade per Vrbanæ splẽdida castra togæ.
Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi.
Qualibet huic curæ cedere cura potest.
Aut his aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.

Sicque, ut idem ait:

Intrat amor mentes usu, dediscitur usu.

Consentanee etiam Epictetus inquit: Amor est otiosa pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in juvene ardor, in sene risus, in derisore delicti nequitia. Neq; enim deridendus frater est in tanto malo, sed potius admonendus, & adjuvandus. Quod si quis non agit, sed deridet, vel senex, qui sapientior cæteris esse debet, ac maximè probus, permittit illũ, eo in quo deliquit, puniens, Deus similiter insanientem irrideri. quemadmodum inquit Albius Tibullus:

At tu qui lætus rides, mala nostra caveto

Mox tibi non vanus ſæviet ipſe Deus.
Vidi ego qui juvenum miſeros luſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenẽ.

Præterea ait Ficinus, ſæpe minuendũ ſanguinẽ in hoc, ut in cæteris morbis: addens, in cute quoq; pruritũ permanere, quatenus tabidi ſanguinis fęx in venis, aut ſalſędo pituitæ viget in mẽbris: defæcato autem ſanguine & pituita, pruritum deſinere, & fœdas cutis maculas aboleri. Cæterum hanc evacuationem haudquaquam repentinã eſſe debere docet, ſed maturam. Porro tradit, tum vino utendum claro, ac nonnunquam ebrietate, ut veteri ſanguine renovato melius ſit laboranti. Sanguine enim vacuato, novus accedit. ita & intemeratus exercitatione quoque ſæpe ad ſudorem uſq; utendum cenſet, per quam corporis meatus ad expurgationem faciendam aperiãtur. Ea deniq; omnia, quæ Phyſici ad cordis præſidium adhibent, & cerebri alimentum, prodeſſe quamplurimum adfirmat. Scribit ex Lucretio etiam, ſæpe coeundum, ſi fieri poteſt, ſcilicet, in legitimo conjugio. Nec ab re hæc omnia inquit: quo-

quoniam cōſtat, faſcinationibus hujuſmodi à corde in venas, à venis in membra fieri tranſitum. Quibus expurgatis, amantium, imo amentium ceſſat inquietudo, & furor beſtiarum naturæ perſimilis. Et tamen morbum non eſſe amorem, dicit Villanovanus medicus: quando morbus eſt innaturalis diſpoſitio, ſeu contra naturam membri nocumentū, aut quod hinc ſequitur, ad actionem virtutis operantis in organo: unde contra naturā diſpoſitio morbi accidens conveniente nomine appellatur. Verū & quicquid homini moleſtiam & triſtitiam adfert, morbū vocari ex Hippocrate didicimus. Ille vero item inepte nimium delirat, maleficia & faſcinationes has naturales, quibus poſſibile eſt, vel permiſſione divina, dæmonum malignitatem per maleficas cooperari, expelli maleficiis & ineptiis. Bonus medicus meminiſſe debebat, contraria potius contrariis curari, veluti tradunt ſui quoq; Medici, Hippocrates, Galenus, aliiq; multi: & pulchre inter recentiores Fuchſius, inquiens: Quis tam ſine mente fuerit, ut malū malo curare velit? Et ſane Chriſtus in euan-

gelio denotat, dæmonia ejici dæmoniis non posse, quod & plane traditur à Theologis verum esse; nisi nonnunquam minore concedente majori atque potentiori; ut in Apollonii Magi miraculis adnotat Eusebius Cæsariensis in sycophantã Hieroclem. haud dubieq; videtur quod traditum est ab Anticlaudiano, Petro Lombardo, & aliis, inter dęmones quoq; imperium quoddam esse. Vt mirum sit, esse qui æstiment rerum humanarum seriem sine superiore constare posse: verumetiam expressim notatus est jam olim à florenti Parisiensium theologorum Academia error, quod licitum sit, aut etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere. Et tradit Martinus Harlesius, de superstitionibus tractans, non esse faciendam aliquam incantationem vel superstitionẽ ad fascinationem hujusmodi removendã, ut faciunt mulieres frequenter. Sed apprehendi posse aliqua verba sacra; ut; Dominus mihi adjutor. Nõ timebo quid faciat mihi homo. Et similia, cum oratione Dominica, & simpliciter fiducia ad Deum erecta. Aitq; ipse ętiam Ethnicus Ovidius :-


Fal-

Fallitur Æmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes, posse juvare putat.

Cæterum plurimis à Ficino traditis, hujus vers. suffragātur sic se habentes:

Ecce cibos etiã, medicinæ fungar ut omni
Munere, quo fugias, quosve sequare, dabo. (ab oris,
Daunius, an Libycis bulbus tibi missus
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptũ est vitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat.
Vtilius sumas acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat. (quaris?
Quid tibi præcipiam de Bacchi munere:
Spe brevius monitus experiere meos. c. 1. & ibi Frãc. no. 2. de regula.
Vina parant animos Veneri, nisi plurima sumas,
Et superant multo corda sepulta mero.
Nutritur vẽto, vento restinguitur ignis.
Lenis alit flãmas, grandior aura necat.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas (cet.
Eripiat: si qua est inter utrunque, no-

Neq; cuiquam hæc absurda sive mala videantur. sicut enim cætera pharmaca medicandi causa sumere malum non est: ita putandum est quoq;, eadem



dem ratione non esse malum, eo casu, quem Ficinus expressit, sese aliquando vino multo immergere, at non inebriari. Tandem hoc meminisse oportebit, ne, simul ac videbere tibi non amare, remedia contemnas, & timere ac cavere quæque desinas. Nam, ut canit Ovidius,

Admonitu revocatur amor, vulnusque novatum
Scinditur. infirmis causa pusilla nocet.
Ut penè extinctum cinerem si sulphure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic nisi vitaris quicquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit.

Anacephalæosis, cum gratiarum actione.

HIs mihi jam videor institutum peregisse, & finem faciendum puto: nisi tu forsan quicquam addendum existimaveris. GOD. Ego nihil prorsus addendum reor. Probe enim præfatus præcipiendo constantiam, pessimum amorem naturæ adversum, incestum, adulterium, & raptum, stuprum, fornicationem graviter perstrinxisti: ea, quæ bona habeant, malaque invehant, perspicue ostendisti: vehementia eorum mire insidiante, eos tantum superari, qui stulte assentirent, ingenue comprobasti. Denique remedia illis malis convenientia abunde docuisti. Tantum restat, ut gratias agamus summo bonorum Autori, qui nobis adesse dignatus est supplicantibus: ᾧ δόξα, τιμὴ καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

i. e. Cui gloria, honos & potentia in sæcula sæculorum.

FINIS.



